This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

TAYLOR INSTITUTION

DOMINUS ILLUMINATIO MEA

58 a. 12.

Presented by the
Revd. H. Wellesley D.D.
Principal of New Inn Hall

DOMI-NUS ILLU-MINA-TIO MEA

To the Taylor Institution, Oxford
April 17. 1861.

61

58 a. 12

ALBERTI THURA,
LAUR. FIL.
PASTORIS LEIRSKOVIENSIS IN CIMBRIA,

GYNÆCEUM DANIÆ LITTERATUM,

FEMINIS DANORUM, ERUDITIONE VEL SCRIPTIS CLARIS CONSPICUUM;

PRÆMISSA PRÆFATIONE
DE
FEMINARUM VARIARUM APUD DANOS IN LITTERAS ET LITTERATOS MUNIFICENTIA,
ET
ADJECTO AD CALCEM, UNA CUM APPENDICE, DUPLICI INDICE PERSONARUM.

ALTONA, APUD JONAM KORTE.
1732.

TAYLOR INSTITUTION
UNIVERSITY OF OXFORD
LIBRARY

Candido Lectori Salutem!

PRoducitur in lucem, Lector Benevole, hoc ſcriptum, quod ignis violentiæ ſuperiori anno expoſitum, penitus periiſſe initio credideram, cum ædes meæ, bibliothecula & reliquæ fortunæ die 19. Julii 1728. per incendium ocyus delerentur, at faucibus tamen itati Vulcani, juvante Deo, ereptum cum nonnullis Libris, ſed nunc, ut in tali caſu fieri ſolet, imperfectis, paucisque meis ſarcinulis litterariis, & MSStis maximo labore & impendio per ſeptennium & quod excurrit a me elaboratis, quæ adhuc, per Dei gratiam, illæſa penes me ſervo; Producitur, inquam, in lucem qualecunque hoc ſcriptum, in laudem ſequioris apud Danos ſexus bono animo compoſitum, diu forte multumque imo cupidiſſime a gente mea deſideratum. Scilicet manum huic operi quidem admoverant *D. Johannes Iſaacus Pontanus*, CHRISTIANI IV. Regis Daniæ Hiſtoriographus, *Ottho Sperlingius*, J. U. Doctor & Conſiliarius Regius & *Eleonora Chriſtiana*, Regis glorioſ. CHRISTIANI IV. Filia, omnes proinde a me laudati in Præfatione *Ideæ Hiſtoriæ Litterariæ Danorum* p. 14. quibus merito adjungendus eſt *M. Andreas Bordingius* qui ſcriptum Danicum *de Feminis doctis* olim compoſuit, & Nobiliſſ. *Margareta*

Juul dicavit. Simile quid olim in animo habuerunt Excellentiſſimus noſter *Severinus Lintupius*, hodie S. R. M. a confeſſionibus & concionibus ſacris, & in Acad. Hafnienſi Theol. Profeſſor, & *M. Thomas Broderus Bircherodius*, Scholæ Othinianæ Cathedralis Rector, & in Gymnaſio Profeſſor celeberrimus. Sed hi omnes, quæ de Feminis doctrinæ fama illuſtribus meditati ſunt, luci publicæ nondum commiſerunt; horum enim pulcherrimum inſtitutum aut ipſa mors, aut typographicarum officinarum difficultas, aut denique ſumma negotiorum moles impedivit ac diſtulit. Solus vero *Matthias Henrici Schachtius*, olim Scholæ Cartemundanæ in Fionia Rector Clariſſimus & celeberrimus, patriarum antiquitatum amantiſſimus, concinni operis ſui, quod *de Feminis Danis eruditis* laudabili inſtituto molitus erat, ſpecimen aliquod in eruditorum manus dedit, *Novis Litterariis Mar. Balth. & Sept.* an. 1700. p. 209-219. inſertum; in quo Feminæ Danorum litteratæ numero XXXVI exhibentur. Legi hoc ante decennium, exſcripſi & in codicillos meos litterarios conjeci, lætatus æque ac ſi ditiſſimam gazam inveniſſem: (tantus mihi innatus eſt & ſemper innatus fuit in patriam & gentem meam amor;) Poſtea vero de Hiſtoria patriæ litteraria magis magisque ſolicitus peniciorem quoque de Mulieribus apud nos eruditione claris notitiam mihi identidem acquiſivi, meumque harum Catalogum ex iis, quæ obſervare mihi licuit, auctiorem reddidi: multum in hac quoque parte adjutus a Viro Nobiliſſimo & Ampliſſimo, *M. Johanne Grammio*, Linguæ Græcæ in Acad. Hafnienſi Prof. celeberrimo, Fautore meo

)(3 veteri

veteri & Amico ſingulari, qui ex ipſo, quod memoravi, MSto *Sperlingiano* de Feminis noſtratibus fere XXX. antea mihi non cognitis benevolentiſſime me monuit & edocuit, ut ita Collectionem meam tandem in integram Centuriam, & quod excurrit, feliciter excreviſſe viderim. Quod igitur privatis meis ſtudiis hactenus inſervivit, de elegantiſſima materia concinnatum Opuſculum, Tuo quoque, Candide Lector, deſiderio ut aliquo modo ſatisfiat, univerſo orbi litterato hic exhibeo. Sed in ipſa hac Præfatione rem Tibi, ut ſpero, haud ingratam facturus, ſpecimen ipſi Opuſculo præmittere decrevi de variis Danorum Feminis, quæ litterarum & litteratorum fautrices fuerunt beneficentiſſimæ. Non eſt tamen, quod integrum harum Catalogum a me exſpectes; ſpecimen ſaltem dabo, in primis ex Eruditorum ad me Epiſtolis, aliisque monumentis litterariis, hincinde feſtinanter excerptum. Scilicet

Anna, b. *Johannis Adkii*, olim Conſulis Slangerupiani in Sællandia, relicta vidua, agellum, cui nomen *Hojeſteen*, hujus loci Ædili locandum tradidit, unde quotannis ad diſcipulos Scholæ Urbanæ duo Thaleri cum dimidio redeunt, teſte V. C. *M. Johanne Fridæ*, Scholæ Slangerupianæ Rectore; in ſua ad me Epiſtola d. 10. Decembr. 1727. ſcripta.

Silia Antonii *Balkenburgia*, præclaris Parentibus Alburgi in Cimbria oriunda, Conjux deinde facta excellentiſſimi D. *Caſpari Brockmanni*, Sællandiæ quondam Epiſcopi, beneficentiam defuncti Mariti pie auxit, legatis D. thaler. Imper. Sub-Bibliothecario Univerſitatis Regiæ Hafnienſis, &

M. ejusdem monetæ viduis Profeſſorum egentibus, totidemque Scholæ Triviali Hafnienſi. Obiit an. 1661. æt. 80. laudata funebri Programmate a Magnifico Academiæ Rectore, D. *Joh. Mullero*, J. U. Prof. IV. Non. Sextil. & ſepulta in Choro Templi D. Virg. Hafn. apud Maritum. Conf. Vindingii Acad. Hafn. p. 236. 239. 450.

Maria *Bangia* quam fuerit in Gymnaſium Regium Othinianum benefica, manifeſtum eſt ex his verbis Clar. Viri, *Laurentii Luja*, Philoſ. Prof. Othin. celeberrimi, *in Statua Honoris Gymnaſio Othin. erecta a D. Georg. Hammeo* p. 26. *Deſiderari quoque noluit faciem ſuam beneficentiam Matrona honeſtiſſima, MARIA BANGIA, Senatoris Othinienſium graviſſimi, Johannis Brunii, relicta vidua, nec mori voluit, antequam locupletari Gymnaſium juberet Ducentis Rudolphis. Sit ejus memoria immortalis, nec ſentiat unquam ſecutura progenies triſtiorem adverſæ fortunæ cariem!*

Chriſtina, Georgii *Benedicti*, in Scholam Hafnienſem fuit benefica. vid. *Idea* mea *Hiſt. Litter. Danor.* Hamburgi 1723. edita in 8. p. 28.

Catharina *Brahe*, Generoſa & Nobilis Virgo, infra in ipſo Gynæceo memoranda, Bibliothecam Danicam inſtructiſſimam Nobili Othiniano Gynæceo legavit, & ſimul CC. Imperiales, ut ex horum annuis reditibus creſcat in poſterum Bibliotheca.

Margareta *Brahe*, Domina de Ulſtrup, anno 1617. d. 24. Jan. CC. Imperiales Scholæ Randruſianæ donavit, ut teſtatur Vir Clar. *M. Martinus Wintmöl*, Scholæ hujus Rector, in litteris ad me datis die 16. Nov. 1727.

Mag-

Magdalena *Erici fil.* de Grøſtebierg, Nobilis Virgo, an. 1588. C. Thaleros ſimplices Scholæ Othinianæ Cathedrali dedit, quod teſtatur Scholæ parieti etiamnum affixa Inſcriptio.

Margareta *Erici fil.* Conjux initio Nobiliſſ. *Magni Mulenii*, inde Viri Clar. *M. Eliæ Nauri*, SS. Theol. & Linguæ Ebr. Lectoris in Gymnaſio Othin. CCC. Imperiales Scholæ Cathedr. d. 4. Maj. 1694. conceſſit, quorum uſura in ſex diſcipulos pauperiores, ſed bonæ indolis, ipſo *Margaretæ* die quotannis diſtribuitur, juxta Tabulam in Schola ſuperſtitem.

Anna *Finckia*, celeberrimi *D. Thomæ Finckii*, æterni Nominis Viri, olim Medic. in Reg. Acad. Hafn. Profeſſoris inclyti, filia; Vidua vero *D. Caſp. Bartholini*, Theologi, Medici & Philoſophi laudatiſſimi, b. Mariti in Muſarum Alumnos, aliosque egenos beneficentiam liberaliter auxit, teſte *Vindingio* in Acad. Hafn. p. 250.

Margareta *Finckia*, Filia ejusdem *D. Thomæ Finckii*, vidua Excellentiſſimi *D. Georgii Fuirenii*, Med. Doctoris in Urbe Hafn. experientiſſimi. an. 1665. defuncta, ſplendidis donationibus liberalem ſuum animum abunde teſtatum fecit. Etenim non modo Noſocomio publico Hafnienſium M. Imperiales, ſed & Viduis Paſtorum D. Imperiales legavit. Conf. Rectoris Magnifici, *D. Chriſtiani Noldii*, Theol. Prof. Programma in Eam exequiale d. 31. Jan. 1665. editum.

Anna *Friis*, Matrona Nobilis, tenuioris ſortis diſcipulis, Scholam Cathedralem Arhuſienſem frequentantibus, CCC. Imperiales tradidit; quod Legatum Fundatione ſua in prædio Ouregaard d.

9. Dec. 1636. ſcripta munivit; teſte, in litteris ſuis ad me an. 1728. datis, Viro Nobiliſſimo & ſumme Venerab. *D. Johanne Ockſenio*, Epiſcopo Arhuſienſi.

Eliſabetha *Friis*, Domina de Berretzgaard, Scholam Saxocopienſem Lollandorum d. 28. Maj. 1624. D. Imperialium legato ditavit, juxta litteras Viri Clar. *Torchilli Halſenii*, Rectoris Scholæ hujus die 28. Dec. 1722.

Chriſtina *Fuiren*, Heroina illuſtris, Vidua Generoſiſſ. Dn. *Jani Harbo*, Equitis Aurati & Conſiliarii Intimi, litteris & litteratis omnino faventiſſima; eum Muſea, Scholæ Ripenſis Cathedralis Collegis deſtinata, & ruinam quovis die minitantia de novo exſtruerentur, ipſaque Schola reficeretur; ſtructuræ adjutrix fuit munificentiſſima. Conf. Viri celeb. & Clar. *M. Chriſtiani Falſteri*, Schol. Rip. Rectoris, *Oratio Danica in Schola hujus ſolemnem inaugurationem* Hafn. 1727. in Fol. Illuſtris hæc & ſapientiſſima Domina natura ad liberalitatem ſemper propenſiſſima eſt, cujus in me quoque ſingularem benignitatem grato animo devotiſſime agnoſco.

Birgitta *Gioe*, una cum Marito generoſiſſ. *Hermolao Trolle* ſuis ſumtibus Scholam Nobilem & illuſtrem *Herlovianam* in Sædlandia an. 1565. ſplendida munificentia exſtruit. Vid. *Idea* mea *Hiſtor. Litter. Dan.* p. 44.

Rigitza *Grubbe*, Vidua Nobiliſſ. *Alexandri Rabe von Papenheim*, CC. Imperiales, juxta Fundationem die 6. Jun. 1631. Scholæ Schelſchorenſi in Sædlandia tradidit; quam notitiam debeo litteris V. C. *Andreæ Mölleri*, Rectoris Schelſchor. d. 1. Jan. 1728.

Ma-

Maria Jani *Hanrum*, Mulier Randruſiana apud Cimbros, Scholæ patriæ beneficia legato CCC. thaler. lautiora reddidit d. 23. Maj. 1666. juxta Epiſtolam V. C. *M. Martini Wintmöl* d. 6. Nov. 1727. & ſumme Venerab. Arthuſienſium Præſulis, *D. Joh. Ockſenii* 1728. mihi transmiſſam.

Anna *Hardenberg*, Matrona Nobilis, Vidua *Andreæ Bielke*, de Torslundgaard, Scholæ Cartemundanæ in Fionia anno 1602. d. 13. Jan. D. Imperiales in ſpecie reliquit; teſte Viro Clar. *Andr. Engberg*, Scholæ hujus Rectore in litteris ſuis d. 3. Jul. 1728. mihi miſſis,

Margareta *Hoeg*, Vidua Nobiliſſ. *Christierni Quitzov* de Rœrbeck, Scholæ Cartemundanæ reditus C. Imperialium ſtipendio auxit die 11. Nov. 1612. prout memorat laudatus *Andreas Engberg* in ſua Epiſtola. Eadem Nobilis Matrona Scholæ Cathedralis Othinianæ Diſcipulis CC. Imperiales an. 1613. conceſſit, unde quovis anno XII. Imperiales redeunt; juxta Inſcriptionem, in Schola Othiniana hodie ſuperſtitem.

Dorothea *Johannis fil.* DC. Thaleros ſimplices Scholæ Hottersnenſi Fundatione reliquit d. 10. Maj. 1710. quam notitiam debeo litteris *D. Joh. Ockſenii*, Præſulis Arhuſienſis, an. 1728. mihi miſſis.

Chriſtina *Juul* anno 1669. duobus Scholæ Alburgenſis Diſcipulis D. Imperiales donavit, quo ſtipendio in Schola per biennium & mox uno in Academia anno fruuntur. Conf. *Idea* mea *Hiſtor. Litter. Dan.* p. 81. & p. 222. ex litteris Viri Nobiliſſ. & plur. Reverendi, *M. Sixti Aſpach*, Aſſeſſ. Conſiſtor. & Paſtoris D. Virg. Alb. Primarii d. 5. Maji an. 1721.

Dorothea *Juul*, Vidua Nobiliſſ. *Georgii Kaas* de Medelgaard, Scholam Grænovianam in Cimbria beneſice dotavit d. 1. Nov. 1642. teſte V. C. *Mag. Johanne Schmidt Mariager* in Epiſtola mihi miſſa d. 28. Oct. 1727.

Eliſa *Juul*, de Brandholm, Scholæ Hottersnenſi C. Thaleros tradidit d. 30. Nov. 1616. prout teſtatur Summe Vener. Arhuſienſis Epiſcopus, *Joh. Ockſenius*, in Epiſtola mihi an. 1728. miſſa.

Hedeviga *Kaas* Scholæ Alburgenſi D. Imperiales an. 1638. largita eſt, cujus legati annuum emolumentum tribus Diſcipulis conceſſerat. Supplemento vero, quod poſtmodum acceſſit, unus fruitur diſcipulus. Conf. *Idea* mea *Hiſt. Litt. Dan.* p. 81. ex Epiſtola *M. Sixti Aſpach* die 5. Maj. an. 1721.

Anna & Chriſtenſa *Kruckovia*, Filiæ Nob. *Axilii Kruckov*, CC. Imperiales unius diſcipuli commodo in Schola Alburgenſi an. 1615. dicarunt, juxta *Ideam* meam *Hiſt. Litt. Dan.* p. 80. ex Epiſtola ejusdem *M. Sixti Aſpach*.

Birgitta *Lindenov*, Uxor quondam Nobiliſſ. *Otthonis Scheelii*, duobus Scholæ Alburgenſis diſcipulis CCC. Imperialium annuos reditus conceſſit, juxta Fundationem an. 1635. perſcriptam. vid. *Idea* mea *Hiſt. Litt. Dan.* p. 81. ex Epiſtola *M. Sixti Aſpach* d. 5. Maj. 1721.

Ingeburga *Leſſ*, una cum Marito ſuo Nobiliſſ. *Chriſtiano Liebman Lengel*, Scholæ Fridericianæ in Cimbria an. 1720. die 1. Jul. pie legavit DC. Imperiales, quorum uſura in emolumentum Scholæ tum primum cedet, quum ſumma ex annuis reditibus ad M. Imperiales excreverit, juxta Epiſtolam

ad

ad me datam a Viro Clar. *M. Tobia Bötker*, Scholæ Fridericianæ Rectore, d. 30. Oct. 1727.

Geſa vel Geſica (*Geedſke*) *Lucæ fil.* CC. Imperiales diſcipulis Scholæ Hottersnenſis d. 9. Oct. 1706. teſtamento reliquit, Monente Epiſcopo Arhuſienſi, *D. Joh. Ockſenio*, in ſua Epiſtola.

Catharina *Lunge*, Conjux Nob. *Oligeri Ulffſtand* de Wosborg, an. 1636. d. 24. Jan. Scholæ Cimbrorum Holſtepontanæ CCL. thaleros ſimplices donavit; teſte hujus Scholæ Rectore, V. C. *M. Johanne Splet* in litteris, mihi d. 8. Jun. 1725. miſſis.

Gertrudis *Lycke*, Virgo Nobilis; filia *Jacobi Lycke*, Scholæ Mariagrianæ L. Thaleros ſimplices tradidit, an. 1554. d. 13. Mart. quod per litteras mihi d. 19. Jun. anno 1728. ſignificavit *M. Philippus Henricus Friedlieb*, Eccleſiæ Mariagr. Paſtor primarius & Nomarchiæ Onſildenſis Præpoſitus.

Anna Henrici *Lytke*, una cum Marito ſuo, *Eraſmo Petri*, in pios uſus bis Mille Imperiales teſtamento legavit, & ex hujus Summæ annuis reditibus aliquam partem Scholæ Rutcopienſi Langlandorum tradidiſſe fertur; fatente Viro plur. reverendo, *D. Joh. Fabricio*, Eccleſ. Rutcop. Paſtore, in ſua ad me Epiſtola d. 14. Febr. 1728. ſcripta.

Anna *Maltisdatter* (h. e. *Malthesii filia*, ex illuſtri *Sehſtediorum* gente) ſplendido Legato Scholam Alburgenſem anno 1617. locupletavit, unde duplex hodie habetur ſtipendium *Maltisdatianum*, *Majus* ſcilicet & *Minus*; illud D. Imperialibus conſtans, duobus, hoc vero D. thaleris, ſex diſcipulis hujus Scholæ deſtinatum; vid. *Idea* mea *Hiſt. Litter. Dan.* p. 80. ex litteris Nobiliſſ. & plur. Vener. *M. Sixti Aſpach* d. 5. Maj. 1725.

Anna *Maneſkiold* L. Imperiales in emolumentum Scholæ Sæbyenſis in Cimbria tradidit, teſte Viro ſumme venerab. *M. Franciſco Theſtrupio*, Diœceſeos Alb. Epiſcopo, in Epiſtola mihi d. 10. Jan. 1724. transmiſſa.

Elina ſeu Helena *Marſvin* quanta fuerit in Gymnaſium Othinianum liberalitate, teſtatur Vir Clar. *Laurentius Luja*, in *ſtatua Honoris Gymnaſio Othinienſi Regio erecta*, his verbis p. 24. 25. *Hac tam laudabili* (ſc. Oligeri Roſenkrantzii) *animata exemplo Heroina Nobiliſſima*, Elina Marſvinia, *priori æqualem ſuperaddidit pecuniæ ſummam* (Mille Imperiales) *non ad privatam voluptatem, ſed ad ſalutem publicam, oſtenſura, bonis inſitum eſſe mentibus, ut, quæ copioſe ex aliis optent, ea ipſæmet munifice deferant. Floreant largiſſimæ Donatricis cineres & ſuavius quieſcant.*

Chriſtina *Münch*, de Boller, Scholæ Hottersnenſi XXX. Imperiales d. 17. Nov. 1633. legavit, ut ex hujus Summæ annuis reditibus charta ſcriptoria pauperioribus diſcipulis daretur; prout memorat Reverendiſſimus Arhuſienſium Epiſcopus, *Joh. Ockſenius*, in Epiſtola ad me data an. 1728.

Dorothea, Vidua *D. Esberni Nicolai*, Medici Practici Urbis Hafn. an. 1627. d. 20. Aug. Scholæ Arhuſienſi D. Thaleros (Courrant-Daler) tradidit, unde ſuperſunt hodie CCCC. Thaleri ſimplices; reliqui in ſumtus ædificii Scholæ olim abierunt, teſte in litteris ſuis *Johanne Ockſenio*, Diœceſeos Arhuſ. Præſule ſumme venerabili.

Maria *Nicolai fil.* die 5. Jan. anno 1656. Scholæ Randruſianæ M. Imperiales teſtamento munificentiſſime reliquit, prout monuit me Vir Clar. *M. Mar-*

M. Martinus Wintmæl, Scholæ hujus Rector, in litteris ſuis d. 6. Nov. an. 1727.

Ingerdis. *Oxe* ſempiternam ſui memoriam ſua in Scholam Haſnienſem beneficentia olim conſecravit. Conf. *Idea* mea *Hiſt. Litt. Dan.* p. 28.

Eliſabetha *Benzen*, Flensburgenſis, Uxor Viri Clar. & celeb. *M. Petri Nic. Gelſtrupii*, in Acad. Haſn. olim Logices Profeſſoris, Bibliothecam Viri defuncti legavit Academiæ. Obiit an. 1659. apud Maritum in Templo D. Virginis Haſn ſepulta. vid. *Vindingii* Acad. Haſn. p. 268. 270. & 451.

Magdalena *Powiſch*, Virgo Nobilis, ſtipendium aliquod tradidit Scholæ Vedelenſi in Cimbria, cujus annuis reditibus duodecim diſcipuli fruuntur, ſinguli nempe tribus Marcis Danicis, juxta Epiſtolam Clariſſ. Scholæ Rectoris, *Dni Jaſpari Roëſteen* d. 9. Mart. 1725.

Margareta *Rantzou*, Conjux *Dietlevi von Buchwold* de Tviiskloſter, Scholæ Holſtepontanæ in Cimbria L. thaleros donavit, juxta Fundationem d. 20. Oct. 1643. ſcriptam, teſte *M. Joh. Spleth*, Scholæ Rectore, in ſua ad me data Epiſtola d. 8. Jun. 1725.

Anna *Rônnov*, Matrona Nobilis, vidua *Erici Hardenberg* de Hvidkilde, diſcipulis pauperioribus in Schola Cathedrali Othin. an. 1605. CC. thaleros pie legavit. Teſtatur id Tabula, quæ hodienum parieti Scholæ affixa viſitur.

Medea *Rônnov*, de Brolykke, Scholæ Cartemundanæ in Fionia an. 1612. d. 5. Jun. C. Imperiales dedit, juxta Epiſtolam Clariſſimi Viri, *Andrea Engberg*, Scholæ hujus Rectoris, d. 3. Jul. 1728. ad me datam.

Anna

Anna *Roſenkrantz*, Vidua *Franciſci Rantzouii*, an. 1616. d. 7. Mart. D. Imperiales Scholæ Faaburgenſi in Fionia legavit, ut refert in ſua Epiſtola V. C. *Johannes Grönnegaard*, Scholæ hujus Rector, d. 16. Jun. 1725.

Margareta *Roſenkrantz* tribus diſcipulis Scholæ Alburgenſis D. Imperialium ſummam dedit an. 1617. prout, ex litteris *M. Sixti Aſpach*, pridem in *Idea Hiſt. Litter. Dan.* p. 80. memoravi.

Thala *Roſenkrantz* uni diſcipulo, in Schola Alburgenſi litteris operam navanti, L. thaleros ad chartas emendas an. 1624. tribuit. Conf. *Idea* mea *Hiſt. Litt. Dan.* p. 81.

Margareta *Schouffgaard*, Nobilis Virgo, an. 1613. d. 1. Oct. Scholæ Othinianæ Cathedrali C. Imperiales teſtamento legavit, juxta Tabulam, in Scholæ pariete ſuſpenſam.

Anna Margareta *Svaningia*, Filia Viri Excellentiſſ. *D. Joh. Svaningii*, Archi-Epiſcopi quondam Danorum, Vidua vero Nob. *Jani Faſſi*, Ripis hodie ſuperſtes, lautum CCC. Imperialium ſtipendium Scholæ Ripenſium Cathedrali ante paucos annos benefice tradidit.

Margareta *Torchilli fil.* Vidua *Chriſtierni Laurentii*, Senatoris in Langelandia Rutcopienſis, Scholam Urbis publicam an. 1618. pie erexit & fundavit, juxta litteras viri plur. Rever. *Dni Joh. Fabricii*, Eccleſiæ Rutcopienſis Paſtoris d. 14. Febr. an. 1728.

Margareta, Vidua Joh. *Toſſingii*, Summam aliquam Nummorum Scholæ Hafnienſi tradidit. Conf. *Idea* mea *Hiſt. Litt. Dan.* p. 28.

Helle ſive Helena *Trolle*, Conjux excellentiſſ.

& gene-

& generoſ. *Palæmonis Krag*, S. R. M. Conſiliarii Intimi, & Diœceſeos Viburg. Præſidis, una cum Marito ſuo C. Imperiales ad ſtructuram ſplendidæ apud Ripenſes Muſarum palæſtræ liberaliter erogavit. Conſ. Viri Clar. & celeb. *M. Chr. Falſteri*, Scholæ Rip. Cathedr. Rectoris, *Carmen* in Illam *exequiale*, Hafn. in Fol. editum.

Anna Margareta *Wandalina*, Filia Viri Nobiliſſ. & Ampliſſ. *D. Joh. Wandalini*, Epiſcopi Sælandiæ, Marita poſtea facta *Georgii Elers*, Conſiliarii ſtatus &c. quam nobili & rara liberalitate Scholam ac Univerſitatem Hafnienſem, ex Mariti ſui teſtamento, perpetuum ſibi devinxerit, abunde teſtatur Ipſius *Funebre Programma*, a Magnifico Acad. Rectore, *D. Hect. G. Maſio*, Theol. Prof. editum & d. 14. Oct. 1700. impreſſum.

Medea *Winſtrupia*, Filia *D. Petri Winſtrupii*, Sælandiæ Epiſcopi, Conjux *D. Nic. Petrei Aurelii*, in Acad. Hafn. olim SS. Theol. Profeſſoris; legavit pauperibus Studioſis CCCC. Thaleros Imper. Obiit an. 1659. Menſe Jun. Funus indictum eſt a Rectore Academiæ, *M. Eraſmo Ewaldi Brochmanno*. Sepulta eſt in Templo D. Virg. Hafn. apud b. Maritum. Conſ. *Vindingii* Acad. Hafn. p. 309. & 451. item *Idea* mea *Hiſtor. Litter. Danor.* p. 221.

Intuere, quæſo, Optime Lector, hanc ſtatuam, tot Feminarum noſtrarum illuſtribus nominibus conſpicuam! Noli autem mirari, quod nihil hic dicam de tot Auguſtiſſimis Daniæ Reginis ac Principibus, æterna memoria longe digniſſimis; quæ liberalitatem ſuam ac benefaciendi indolem promtiſſimam mirabili prorſus exemplo toti Orbi

litte-

litterato clementiſſime exhibuerunt, & in Dania Scholas aliæ pie erexerunt, aliæ publicas Muſarum officinas munificentiſſime ornarunt ac ditarunt, omnes tutamen, ſpiritum & vitam bonarum artium cultoribus gratioſiſſime conceſſerunt. Hæc enim tam rara, tam divina, tamque adoranda Munificentiæ monumenta, quia ſplendidiora & eminentiora ſunt, quam ut ſatis a me prædicari queant, meumque qualecunque præconium longe lateque ſupergredi videntur, meæ tenuitatis ipſe probe conſcius, doctiorum calamis, ſpiſſisque Regni noſtri Annalibus relinquo.

Sed ne longiori Te, Candide Lector, Præfatione detineam, ingredere jam ipſum, quod Tibi heic aperitur, *Gynæceum Daniæ Litteratum*, in quo plurimas invenies Danorum Feminas, ſcriptis aut eruditione per duo ſecula poſteriora claras; & mecum agnoſce patriæ noſtræ felicitatem, quæ multas habuit & adhuc habet illuſtres Feminas, quas doctis aliarum gentium Mulieribus jure ſuo opponere poſſit. Videant autem tandem aliquando, qui rerum Danicarum ignari vel injurioſi, elegantiores Muſas heic obſtupuiſſe aut prorſus exſtinctas eſſe inique cenſent, atque demum fateantur, veriſſime a Celeberrimo & Summe Venerabili noſtro, *D. Joanne Jac. Bircherodio*, olim Alburgenſium Epiſcopo, in Præfatione *Palæſtræ Antiquariæ* Hafn. 1688. in 8vo editæ, pronunciatum eſſe: *Dania noſtra a multo ævo alta ingenia habuit & dedit, quæ ad ſublimia niſu laudabili contendere, genii ſui proprium oſtenderunt.* Ea enim eſt & ſemper fuit Daniæ meæ felicitas, ut quælibet ætas non modo viros eruditione longe clariſſimos & celeberrimos magno nume-

numero produxerit, ſed etiam Feminas, quæ litteras & amarunt, & ipſæ coluerunt. Quod autem ad ipſas Mulieres, in hoc ſcripto memoratas, attinet, fateor equidem, omnes, quarum hic ſit mentio, pari paſſu haud ambulare, & nec eandem laudem, neque paria elogia promereri poſſe. Fautor proinde quidam æſtimatiſſimus, quem veneror, & cujus conſilia alias ſequor lubentiſſime, ſuaſor mihi fuerat, ut ipſum meum Gynæceum quaſi duplex facerem, ita quidem, ut in hoc aperirem bina conclavia, *alterum* ſcilicet *illuſtre*, Feminis *vere doctis*, *obſcurius* vero *alterum*, Feminis *ſemidoctis* conſpicuum. Non multum abfuit, quin ad arbitrium ejus, nutum ac voluntatem me totum converterem; re vero penes me altius conſiderata, animo perterritus ab iſto ejus conſilio, meoque propoſito mox deſtiti. Quis enim non videt, laborem hunc quem ille mihi injunxerat, & difficilem eſſe, & iras mihi atque inimicitias facile creare potuiſſe non modo viventium feminarum, ſed & mortuarum hæredum, cum in numerum doctiſſimarum quædam ſemidocta, & quæ alias doctiſſima eſſet, in numerum ſemidoctarum facile referri potuerit, mea ſive ignotitia, ſive nimia cautela, ut plura incommoda miſſa faciam? Ordinem igitur Alphabeticum ſecutus, eamque tutiſſimam mihi viam fore arbitratus, quod mihi de ſingulis in notu erat, notavi, aliorum demum judicio & ſententiæ relicturus, hæc, illa & iſta Feminarum mearum docta eſſet, an ſemidocta vel doctiſſima. Erat mihi quoque in animo Feminas hodie ſuperſtites, in primis illuſtriores, quarum mentio hic a me injicitur, per litteras devote implorare, ut

mihi liceret, ipſas in hoc Gynæceum introducere, ne invitæ introduci viderentur; (hoc enim me ſubmonuerat Vir alius eruditus, Fautor meus plane ſingularis) ipſe autem, ab alio quoque rogatus, animum & conſilium mutavi; prævidi enim, ſi hoc fieret, illas, alia atque alia prætexendo, modeſtiæ forte cauſſa velle, ut penitus excluderentur. At quia harum nonnullæ ob eruditionem in Novis publicis laudatæ omnibus jam dudum innotuerant, aliæ autem in Epiſtolis Illuſtrium & Clariſſimorum Virorum ad me datis memorantur, non potui, quin omnes, quarum eruditionis fama ad me pervenerat, viventes pariter ac Mortuos Danorum Feminas eruditas in libello meo Orbi litterato ſiſterem, ratus neminem earum ſine ſcelere meo potuiſſe taceri. Ego proinde, qui nihil heic finxi, neminem fallere ſtudui, omnia vero ſine ullo fuco deſcripſi, ipſum hoc qualecumque Opuſculum ita, ſpero, ab omnibus legatur, ut nemini, qui candido eſt animo, diſpliceat. Vale, Optime Lector; huic fave opuſculo! quam feliciter litteræ in Dania hactenus etiam inter Feminas floruerint, mecum mirari diſce; & plura Hiſtoriæ noſtræ litterariæ Specimina, modo vires & vitam Deus conceſſerit, a me propediem exſpecta. Dabam Leirlkoviæ prope Coldingam in Cimbria. die VI. Octob. MDCCXXIX.

Albertus Thura,
Laur. Fil.

GYNÆ-

GYNÆCEUM DANIÆ LITTERATUM.

§. I.

INgera *Andreæ fil.* Femina Dana, *Precationes & Sententias pias* idiomate vernaculo conſcripſit in 8. quæ ſuperſunt inter rariora MSSta Bibliothecæ Inſtructiſſimæ, quam curioſis aperit Virgo genere & virtutibus illuſtriſſima, *Catharina Brahe*, infra ſuo loco memoranda.

§. II.

Margareta *Bartholina*, Filia celeberrimi noſtri *Thomæ Bartholini*, olim Regii Antiquarii & Profeſſoris Hafn. Soror vero *Caſpari* & *Johannis Bartholinorum*, Profeſſorum in Academia Hafnienſi hodie ſuperſtitum, ob ſingularem in litteris peritiam laudes, ac proinde inter eruditas Danorum Feminas nomen & locum dudum meruit. Illa enim, adhuc

huc virguncula, ipſo Parente duce, Latinas litteras cupide didicit & Carmina Danica haud infeliciter condidit; Conjux poſtea facta Viri Nobiliſſ. *Chriſtiani Muller*, S. R. M. Conſiliarii Juſtitiæ & Islandiæ Præfecti Regii. In Poëmatis celeb. *Thomæ Bartholini* Hafniæ 1669. in 8. edita. p. 112. 113. inter *Carmina Adoptiva* Epigramma hoc legitur, in honorem hujus *Margaretæ Bartholinæ* ab illuſtriſſ. *Magno Scheelio* ſcriptum:

Ad MARGARETAM BARTHOLINAM, arte Poëtica inſignem.

Hactenus Aoniæ ter tres vixere ſorores;
Deniq; nunc decimam Dania noſtra tulit.
Nimirum noſtro Thomas *celeberrimus ævo,*
Muſarum Pater eſt, filius ante fuit.

Magnus Scheelius.

A. C. 1668.

Ipſe Pater *Thomas Bartholinus* p. 107. ſequens ſiſtit Epigramma

Ad MARGARETAM BARTHOLINAM filiam, Carmina vernacula pangentem.

Filia, perge novem Pindi redamare Sorores,
Sicelidum gratis aſſociata Sacris.
Carminibus concede locum. Inter penſa juvabit
Caſtalio teneras fonte lavare genas.
Pergito ſic per amœna tui veſtigia Phœbi,
Nam quoque Pieriis margaris iſta placet.

Cele-

Celebratur alias a V. C. *Joh. Mollero*, olim celeb. Scholæ Flensburgenſis Rectore, in Præfatione *de Gentium Borealium in litteras meritis*, quam *Bibliothecæ* ſuæ *Septemtrionis Eruditi*, Lipſ. 1699. in 8. editæ, præmiſerat, pag. 55.

§. III.

Maria *Belov*, Danicæ Nobilitatis Femina, nata fuit an. 1586. d. 25. Dec. in prædio nobili Paterno Spötterup apud Cimbros, Patre *Henrico Belov*, Regni Daniæ Senatore & Arcis Calloenſis Præfecto, Matre vero *Eliſabetha Schram*, vetuſtæ Nobilitatis Danicæ Matrona. Quibus orta parentibus, mature a quarto ætatis anno rudimentis primis imbuta, cum Fratre ſtudia cujusvis generis tractavit, ingeniumque habuit a ludis puerilibus plane averſum, nihilque crepundiis indulgens. Studia accreſcente ætate ita culuit, ut libros nunquam depoſuerit, ſed nocturna diurnaque manu ſelectiſſimos quosvis ſcriptores aſſidue pervolverit. Linguam ſuam promte & terſe loqui Latina, Gallica & Italica pro lubitu docuit, in Gallicis tamen addiſcendis nullo Magiſtro uſa; ejus enim Linguæ peritiam ex domeſticis & aliorum familiaritate Gallice ſcientium, veluti aliud agendo, ſibi acquiſivit; nec Græcæ Linguæ ignara. Conf. *Nova Litter. Hafnienſ.* a Nobiliſſ. *Joachimo Wielandt* edita, an. 1724. p. 522. Decimo octavo ætatis anno, ſc. 1604. d. 16. Jun. Matrimonio juncta fuit Viburgi in Cimbria Viro Illuſtri *Chriſtiano Holck* de Buſtrup, Regni Daniæ Senatori & Arcis Haldenſis Præfecto Regio, cum quo XXXVI. fere annos optime vixit & eru-

 dite.

dite, VIII. Liberorum Mater facta. Marito vero an ætatis LXXXIII. ſc. an. Chr. 1640. defuncto, ærumnis omnibus expoſita ad litteras unice confugit, ex iisque præſentiſſima mœroris remedia hauſit. Tandem ex hac vita exceſſit anno 1651. die 3. Sept. in prædio ſuo Lisbergenſi apud Cimbros, quo paullo ante migraverat expletis annis LXIV. Menſibus VI. diebus XIV. Elogia & Epitaphia huic *Beloviæ* certatim poſuerunt quam plurimi, inter quos doctiſſima noſtra *Birgitta Tot*, Uxor *Otthonis Giœ*, *Magnus Hœg*, Regni Dan. Senator, *Thomas Bartholinus*, Med. D. & p. t. Rector Acad. Hafn. *D. Jacobus Matthiæ*, Epiſcopus Arhuſienſis, *Thomas Bangius*, *Eraſmus Vindingius*, *Joh. Claudii Roſingius*, *Joh. Olai Randruſius*, *Bartolus Herlund Aalſœnius*, alii. *D. Thomæ Bartholini* verba ἐπιτάφια hæc ſunt, quæ exſtant in ejus Carminibus Lib. IV. p. 99. (ubi additur, hoc Carmen Arhuſii 1654. impreſſum eſſe.)

In Exequias, Nobiliſſimæ & eruditiſſ. Dnæ, Mariæ Beloviæ.

Heu! nimium Mors ſæva fuit; patet undique lethe,
Et cœli inſuetas permeat urna vias.
Muſarum turbat nexum, numerumque refingit,
Sidereasque tegit nox inimica faces.
Nam Decima occubuit viduato Numine Muſa,
Atque Helicon deflet triſtia fata poli.

Quam

Quam genus & virtus & quicquid Pallas adorat,
Juſſit in æthereo nomen habere choro;
Quam ſexum ſuperaſſe ſuum, fortique rubore
Vidimus; excelſos obſtupuiſſe Viros;
Exſtinctam lugent trepidantque horrore ſorores,
Cum Decima credunt ſe periiſſe Novem.
Mortales hominum mirari funera ceſſent,
Quum pereant tantæ lumina clara Deæ.

Carmen & Epitaphium inſigne ipſi compoſuit *Joh. Ol. Randruſius*, cui titulus: *Tumulus* Mariæ Beloviæ, *Nobiliſſimæ in Dania Feminæ, quæ Septentrionis Miraculum ſine faſtu fuit, & ſine omni oſtentatione efferri Liesbergiæ voluit XXII. Sept.* cIↃ IↃ C LI. Ipſum vero Epitaphium hæc continet: *Maria Belovia, Danorum Heroina Nobiliſſima, eruditiſſima, quæ poſtquam ſe Muſarum ſtudiis ſupra ſexum, ingenio ſupra Viros, virtute ſupra genus longe extulerat, poſtquam patriam meritis, mundum fama, ſeculum ætate impleverat, hic ſita eſt; Eruditionis ſimul & Patientiæ ingens Miraculum, Femina, in qua nihil effeminati, Quæ ipſam Fortunam laſſavit, &, quod viris grave, vicit, Suorum Mortes ſic tulit, ut ſuam non formidarit. Funus ſibi ſuum viva ivit, ut funerata vitam æternam iniret. Luge Dania, Luge Eruditio! Nobilioris Feminæ exequias nunquam iviſtis. Obiit* 9. *Sept.* 1651. De ea *Ericus Ericius Pontoppidanus*, Poëta apud Danos celeberrimus, in Elegia ad Senecam *Birgittæ Tot*, ita cecinit:

Pæonio celebris ſtudio Belovia, *multæ*
Et linguæ & variæ gnara virago rei.

Orationem Sacram in *Mariam Beloviam* ex Pſ. LXXXI. 7. habuit in Templo Lisbergenſi *Dn. Franciſcus Nicolai*, loci Eccleſiaſtes, quæ impreſſa eſt Arhuſii 1654. in 4. Danice.

§. IV.

Sophia *Belov*, ſoror laudatæ nuper *Mariæ Belov*, ad colendas litteras humaniores quoque optiſſima, in artium liberalium nec non variarum Linguarum exoticarum ſtudio haud leviter erat verſata, Heraldicis etiam faventiſſima, imo deditiſſima, cui proinde plurimas laudes & gratias etiamnunc debent Heraldici ſtudii Cultores. Nupſit Heroi generoſ. *Chriſtiano Tot* de Boltinggaard; (non vero *Tagoni* vel *Thomæ Tot*, juxta nonnullorum ſententiam.) Mater fuit doctiſſimæ *Birgittæ Tot*; exſtincta d. 22. Jul. 1656. vid. *Nova Litter. Hafn.* an. 1724. p. 522. Singularem, qua polluit, Anglicæ linguæ notitiam ſatis teſtatur *Danielis Dyke Arcana ſui Ipſius Deceptio*, ſcriptum Anglicum Danice redditum, nunc inter MSt. Nobiliſſimæ *Catharinæ Brahe* in 4to reconditum, adjecta Præfatione eruditiſſimæ *Birgittæ Tottiæ.* Superſunt quoque inter eruditos varia hujus *Sophiæ Beloviæ* MSta alia, ut, (1) *Liber Genealogicus, continens Genealogias Familiarum LXVI. e Nobilitate Danica;* juxta Catalogum Bibliothecæ illuſtriſſimi *Frid. Roſtgardi*, p. 540. n. 950. (2) *Annotationes in variarum Familiarum Nobilitatis*

bilitatis Danicæ Inſignia. Conf. Catal. *Roſtgard.* p. 542. num. 964.

§. V.

Birgitta *Bilde*, Domina de Yversnes, e generoſa & Nobili apud Danos proſapia ortum trahens, &, teſte *Lyſchandro*, Filia *Jani Claudii Bilde*; Equitis Aurati, & Regni Daniæ Senatoris, Conjux vero Nobiliſſimi *Chriſtophori Giedde*; litteras elegantiores infatigabili cura excoluit, & vernaculam Poëſin, quam ſummo habuit in pretio, exercuit. Metro Danico expreſſiſſe fertur *Genealogiam Bildianam*, quæ MS. aſſervabatur in Bibliotheca *Reſeniana*, olim quidem antiquitatis Daniæ litterariæ monumentis inſtructiſſima, ſed anno ſuperiori 1728. Menſe Octobri luctuoſiſſimo Hafnienſi incendio penitus ad cineres redacta. Conf. Catalog. *Reſenii* pag. 323. n. 35. Catal. *Roſtgard.* p. 361. num. 2357. item *Alb. Bartholinus* de ſcriptis Danorum p. 16. ubi moneo, pro *Claudii Bilde* legendum eſſe *Jani Claudii Bilde*. NB. Quæ vero anno 1722. in 8vo prodiit *Genealogia Bildiana*, in Catalogo *Roſtgardiano* l. c. memorata, & in multis Bibliothecis obvia, verius ſcripta eſt a *Claudio Chriſtophori Lyſchandro*, Eccleſiaſte Herſôglenſi in Sædlandia, & *CHRISTIANI* IV. Regis Hiſtoriographo, quam a *Birgitta Bilde*, prout fatentur plurimi.

§. VI.

Catharina *Bilde*, Nobilis itidem in Dania Matrona, Uxor Generoſiſſimi *Falconis Giœ*, Domini

de Hvidkilde, & Regiæ Academiæ Soranæ Summi Præſidis, illuſtrem ab infantia eruditionem nacta eſt; ſummaque cura ſcripturam S. & Libros Theologicos Germanico in primis idiomate editos, legit & intellexit. Varia erudite & piè elaboravit, ſed inter MSSta in Bibliotheca infra memoranda Virginis Nobiliſſimæ, *Catharinæ Brahe* adhuc latentia, quorum hic eſt ſyllabus: (1) *Johannis Arndii Verus Chriſtianiſmus, e Germanico Danice translatus.* in Folio. (2) *Tractatus elegantiſſimus Nonneminis Germanicus de Vera & Chriſtiana devotione, Danice expoſitus,* in Fol. (3) *Spiritualis Fidelium Theſaurus, a M. Martino Staſio, Paſtore ad D. Johannis Dantiſc. an.* 1659. *Germanice editus, Danice translatus.* in Folio. (4) *Martini Chemnitii Vera. & in Sacris litteris firmata, Confeſſio de reali Corporis & Sanguinis Chriſti in S. Cœna præſentia, an.* 1662. *e Germanica itidem lingua Danice reddita.* in 4. Conf. Catal. *Reſenii* p. 350. n. 1, 2. 3. 8. (5) Quoque *Prætorii* ſcriptum von der Tauffe/ in Danicam Linguam transfuſum ipſi tribuitur a celeb. *Otthone Sperlingio* in MS. ſuo de *Feminis Eruditis.*

§. VII.

Sophia *Bilde*, Nobilis Matrona, patrem habuit *Andream Bilde*, Maritum *Magnum Roſenkrantz.* Illa typis commiſit (1) *Librum Novum Precum & Hymnorum.* Hafn. 1678. in 8. Danice, nomine ſuo quatuor verſibus & his litteris involuto: *S. B. A. D. Sophia Bilde, Anders-Datter.* qui Liber poſtea a *Joachimo Schmitgen*, Typographo Hafnienſi, impreſſus eſt, majori forma in 8. (omiſſis tamen hymnis)

nis) ſub titulo novo: *De Udvaldes U-forgængelige Krone.* Hafn. 1710. (2) *Aandelige Hvile-Timer*, ſeu *Horas Spirituali quieti dicatas.* Hafn. 1696. in 8. Continet autem hic Liber varios Hymnos ſacros, non ab ipſa *Sophia Bilde* compoſitos, ſed quos in privatos eosque pios uſus ſibi elegerat, & typis evulgari voluerat.

§. VIII.

Hedeviga Margareta *Bornemann*, Matrona ortu illuſtri clara, Patrem agnoſcit *D. Henricum Bornemann*, ol. in Sædlandiæ Epiſcopum, SS. Theol. in Acad. Regia Hafnienſi Profeſſorem & Facultatis Theologicæ Decanum, Matrem vero *Annam Würgers.* Viris Nobiliſſimis & periluſtribus elocata, primo quidem *Benedicto Laſſon* in Aaſkiær, S. R. M. Conſiliario, poſtea vero *Matthiæ Roſenörn*, S. R. M. Chiliarchæ, vulgo Oberſt dicto.

Verſus Danicos erudite & commodiſſime componit, ingentem propterea laudem apud noſtrates aſſecuta. Quam feliciter in vernacula Poëſi ingenii ſui vires exerceat, ſatis teſtatur in Maritum ejus poſteriorem, *Dn. Roſenörn* ſequens Carmen exequiale; quod ſuperiori anno 1728. amice mihi tradidit Vir plur. Reverendus & Clariſſimus, *M. Janus Bergendal*, Eccleſiæ Danicæ Fridericienſis in Cimbria Primarius Paſtor, ipſa Nobiliſſimæ Auctoris manu deſcriptum:

Jeg veed vel, Menniſket er Hö,
Et Blomſter, ſom ſkal falde;

Guds

Guds gamle Dom er: Du ſkal dö;
Dend ſtrekker ſig til alde.
Men Maaden, Tiden, Stædet, hvor
Dend Dom ſkal exequeres,
Paa Gud, ſom Dommeren, beroor,
Kand ej af os ſtuderes.
Thi lever vi ſaa ſikkert frem,
Ej venter Dödens komme,
Vi rejſer tidt fra Huus og Hjem
Med Döden i vor Lomme.
Des verre! Saadant gik det Mig,
Min Roſe *var ved Saften,*
Men meget u-formodentlig
Dend lukte ſig mod aften.
Min Roſe *visned, faldt omkuld,*
Dend tabte liv og Lugten;
Min trygge Oern, *min Forſvar huld,*
Forlood mig og toog flugten.
Jeg ſtood da fuld af Hjerte-Klem,
Og miſte ald min glæde,
Paa Snegle-viis Jeg rejſte hjem,
Og gaf mig til at græde.
Men ald min jamren hjalp mig ej,
Tabt var og blev min Roſe;
Gud ſagde: Ti og gak din Vej
Igjennem verdens Moſe.
Din Roſe *leg i Joorden hen,*
Din Oern *har Himlen inde;*

Der

Der ſkal Du begge To igjen,
Naar Jeg behager, finde.
Saa taug Jeg i min jammer-ſtand,
Holdt Gud ſit oord for öje,
At Dend. mig ſkabte, er min Mand,
Og Tröſt i ald min möje.
Jeg troor, Guds Löfter faſte ſtaar,
Hand vil Mig aldrig ſvige,
Min Roſenörn *Jeg viſt nok faaer*
Igjen udi Guds Rige.
Lig da, min Roſe, *i din graf,*
Skal toorne mig ſkjönt ſlide,
Saa löſes Jeg dog een gang af,
Til hvile ved din ſide.
Og er min Roſe, *fordum rööd,*
Nu falmed, viſſen bleven,
Skal dend dog, til min egen dööd,
Staa i mit Hjerte ſkreven:
Gud glæde Dig, min Roſenörn,
Blandt ſine Himmel-Helte,
Og hjelpe mig og vore Börn
Som boor endnu i Telte!
Du ſtridde, vandt, Du fra mig flöj,
Du agter intet meere
Ald verdens Kram og Dukke-töj
Laan Mig nu dine feere.
Saa vil Jeg flyve glad herfra,
Trods Klipper, Modgangs Vande!

Og

Og ſjunge mit Halleluja
Hos Dig i Himlens Lande.

GRAV-SKRIFT.

J Krigen tjente Jeg mit Brööd,
Men Kugler og Cartover
Mig aldrig det i Feldten bööd,
Som Mors i Stuen vover.
Jeg holdt mit Liv, hvor livet galdt,
Og Dööd var hver dag reede;
J Fred, ved Venne-boord Jeg faldt,
Med ſværdet i ſin ſkeede.
Thi Dæden u-formoded ſtood,
Og ſpendte hart ſin Bue,
Toog Ladning af mit eget Blood,
Og ſkjööd mig i en Stue.
Hand traf; Jeg fik mit bane-ſaar,
Og endte jammers-Tone,
Til mines fryyd Jeg evig ſtaar
Nu ſkud-fri for Guds Throne.

§. IX.

Catharina *Brahe*, Virgo Nobilis, generoſa, celebris & erudita, adhuc in Fionia ſuperſtes, Patrem habuit *Præbiörnonem Brahe* de Hvedholm, Matrem *Suſannam Giæ*, (de qua plura poſtea) Fratres vero *Georgium* & *Præbiörnonem Brahe.* Domina eſt de prædio Nobili *Oeſtrupgaard*, ipſique cura & ſu-

& ſuprema Inſpectio Illuſtris, Gynæcei Othiniani commiſſa.

Huic Gynæceo (vulgo *Jomfru-Kloſteret* dicto) nuper pio & mirabili prorſus inſtituto legavit Bibliothecam ſuam Danicam, Libris patrio idiomate, intra & extra Daniam, ab ipſa Typographicæ artis origine impreſſis multo locupletiſſimam, quam hæreditate jam pridem obtinuerat a Nobiliſſ. Matrona, *Anna Giæ*, beata ſua Matertera, a ſe vero poſtmodum auctam; Cujus Bibliothecæ Catalogum edidit *M. Laurentius Sthenonis Lindius* Hafn. 1725. in 4. Danice. Inveniuntur in inſtructiſſima hac ſupellectile (quam mihi an. M DCCXXVII. Menſe Septembri, & hoc ipſo an. M D CCXXIX. d. 6. Jul. adire & perluſtrare licuit) omnis generis & argumenti Libri impreſſi pariter ac MSSti, quos indies ſupplere & augere ſatagit Nobiliſſima Cœnobii & Bibliothecæ Præſes. Ipſius vero hujus *Catharinæ Brahe* Monumenta litteraria junioribus annis deſignata in eadem Bibliotheca aſſervantur; ſc. (1) *Nicolai Hunnii Epitome Credendorum* Danice reddita MS. in 4. (2) *Epitome Commentarii Lutheri in Epiſtolam ad Galatas.* Danice, MS. itidem in 4. & alia. Ob eruditionem ſuam laudatur hæc Virgo in *Novis Litter. Hafn.* an. 1725. p. 131.

§. X.

Sophia *Brahe* Matrona erat Nobilis, Soror illuſtriſſimi & celeberrimi *Tychonis Brahe*, Daniæ Atlantis ac Aſtronomi extra controverſiam Principis, orta Parentibus Nobiliſſ. *Otthone Brahe* & *Beata Bilde.* Matrimonio ſibi junxit primo *Otthonem Tot*

(cui

(cui Filium unicum peperit *Tagonem Tot*) dein *Nicolaum Lange*, Chymiæ ſtudioſiſſimum. Illa non modo Aſtrologiæ ſolerter incubuit, ſed Linguam Romanam perictus intellexit, ita quidem, ut maturitatem Latine dicendi & ſcribendi ad ſummum perduxerit, inter Poëtrias Daniæ illuſtres loco facile primo ponenda, laudata merito a celeb. *Borrichio* in Diſſert. Ult. p. m. 236. Summam ejus eruditionem & in Carmine Latino condendo felicitatem abunde teſtatur *Epiſtola metrica* prolixa, quam ex ampla & ſelecta *D. Matthiæ Foſſii*, Epiſcopi Alburgenſis, Bibliotheca, ubi MS. delituerat, depromtam *Inſcriptionibus* ſuis *Hafnienſibus* adjunxit Patriarum Antiquitatum amantiſſimus, *Petrus Joh. Reſenius* p. 410 - 429. Hanc Epiſtolam *Sophia Brahe*, tum b. *Tottii* Vidua ſcripſit in prædio Erichsholm an. 1594. ad laudatum *Nicolaum Langium*, cui fidem dederat conjugalem, in exteris ante Nuptias Chymiæ ſtudii cauſſa circiter triennium verſatum, ut Ipſum tandem in patriam retraheret. Ipſa vero Epiſtola, ad imitationem *Heroidum Ovidii* ludendo concinnata (in qua *Langium* TITANEM, *Se ipſam* vero URANIAM appellat) ita incipit:

URANIA TITANI.

En tibi ſexcentos, præbet quos Pagina, verſus,
Accipe, mi Titan, *& lege, quando vacat.*

Sunt

Sunt ideo multi, ne ſit reſponſio promta,
Ipſe ſed hanc nobis ore referre velis.
Venit ab Urania, *quam cernis, Epiſtola,* Titan,
Nil ſibi reſcribi, Te ſed adeſſe cupit.
Littera multa quidem perarata eſt, multa ſuperſit,
Aſt cum Te caream, quid Tua charta juvat?
Te retinet nimium noſtris ars invida votis,
Crede mihi, haud tanti tota Chymia foret,
Ars vana & linquens vacuatas ære crumenas,
Quam propter vacuo linquor & ipſa thoro;
Quam propter ſine ſole dies, ſine ſidere noctes
Orba traho, quod abes, Solque jubarque meum.
Ars utinam tenebris, unde orta, periſſet Averni,
Quæ mihi tot nitidos abſtulit atra dies.
Jure vocanda atra eſt, quia ſit carbonibus atris,
Non decuit niveas res ita nigra manus.
Aſt ego quod linquar, modicum eſt; Tu læder s inde,
Ægra ſit hinc tua mens, hinc male corpus habet.

Quando etenim curis nimiis noctesque dies-
que
Carperis, ut votis Ars ſit amica tuis;
Et tandem inventum Nihil eſt, quod & us-
que requiris
Nonne animus tanta ſpe cecidiſſe do-
let? &c.

His vero Epiſtola diſtichis clauditur:

Quod ſupereſt, bene vive diu; ut ſalvusque
reviſas
Uraniam, ô Titan *ſemper Amate, Vale.*

Hæc in Eriksholmi perſcripta eſt littera Ca-
ſtro,
Cum geminos piſces Sol redeundo capit.
Di cito dent, gemini hic piſces capiamus
amantes,
Tuque redux Titan, & *Tua ego* Urania!
Anno 1594.

Ejus Manuſcripta olim ſervavit Virgo doctiſſima, *Ida Margareta Roſenkrantz.* Manuſcripta ejus Chymica, non vulgaris eruditionis, nec exiguæ molis tenuit Vir Eruditiſſimus, *D. Olaus Borrichius.* Cum Elegiam Senecæ *Birgittæ, Tot* præfigeret *Ericus Er. Pontoppidanus*. Poëta clariſſimus, hujus *Sophiæ Brahe* ita meminit:

Aſtrorum ſolers ſpeculatrix, æmula Fratris
Brahæa, *Aoniis hic operata Sacris.*

Chriſto-

Chriſtophorus Rothmarus, Haſſiæ Landgravii Mathematicus celebris in litteris ad *Tychonem Brahe* an. 1594. ſcribit, ſe Sororis Ipſius *Sophiæ*, Philoſophicæ & perquam ſolertiſſimæ, Nobiliſſimæque Matronæ, hortum cupide vidiſſe; ut teſtatur *Sperlingius* in ſuo MSto. *Carolus* vero *Ogerius* Itiner. Danic. *Sophiæ* hujus ita meminit: *Hujus* Tychonis *Soror, mulier ſeptuagenaria, quam etiam Mathematices peritiſſimam eſſe ajunt, nos Helſingora exeuntes conſpexit, illamque nos ipſi viciſſim.* Conf. *P. Reſenii* Inſcript. Hafn. p. 312. Addo quoque teſtimonium Clar. *Petri Gaſſendi* in *Vita Tychonis Brahe* Hagæ Comitum 1655. in 4. pag. 2. *Ex filiabus autem* (Otthonis Brahe) *dicenda præſertim* Sophia, *quæ decennio poſt Tychonem nata, longe ſupervixit; exſtincta quippe a paucis annis propemodum nonagenaria. Ea fuit perita Matheſeos, & Aſtronomiam cum diligeret, Aſtrologiam præſertim deperiit: unde & expeditiſſima in erigendis Thematibus fuit. Reliquit vero filium Senatorem, inclytum* Tagonem Totum, *Erichsholmium*. Conf. quoque pag. 132.

§. XI.

Sophia *Brahe*, alia, Virgo fuit Nobilis, *Prabiernonis Brahe* & *Suſannæ Giœ* Filia, *Catharinæ* vero *Brahe*, ſupra memoratæ, Soror; piis meditationibus & ſacris occupationibus prorſus intenta. Hujus eſt *D. Henrici Mulleri*, olim Superintend. Roſtochienſis, *Altare Gratiarum Spirituale, piis Chriſtianorum Deum celebrantium uſibus quotidianis inſerviens*, anno 1673. e Germanico in Danicum ſermonem redditum, quod MS. in Folio habetur

in Bibliotheca Nobiliſſ. *Catharinæ Brahe*, juxta Catalogum pag. 155.

§. XII.

Anna Margareta *Bredalina*, jam inde usque a puellari ætate ob ſingularem in Lingua Romana peritiam inter nos celebris & clara, in manus eruditorum dedit *Panegyricum Sermonem in Unctionem glor. CHRISTIANI Vti*, Hafn. 1671. in 4. ego autem manu Ipſius doctiſſimæ *Bredalinæ* ſcriptum penes me ſervo. Hanc Panegyrin, ipſi Regi auguſtiſſimo CHRISTIANO V. Epiſtola Dedicatoria ſubmiſſe oblatam, quindecim annos nata inſtituit, inque ædibus paternis memoriter recitavit. Vivit adhuc Matrona, ætate & eruditione veneranda, cum altero ſuo Marito, Viro Clariſſimo, *M. Erico Bredalino*, olim quidem Eccleſiarum Klouborg, Tyrſting & Græſtrup Comminiſtro deſignato, ſed ſacro muneri non initiato, Rodie vero Scholæ Hottersnenſis in Cimbria Rectore celeberrimo. Ecce vero Latinam Epiſtolam ipſius Bredalinæ, cujus autographum apud *D. Joan. Jac. Bircherodium*, Diœceſeos Alburgenſis Epiſcopum, olim fuit aſſervatum, in qua vitæ ſuæ & ſtudiorum rationem reddit:

Primum in hac luce Spiritum me trahere adſpexit Paterna ſedes, prædium Paſtorale Schaddanum, an. 1655. die 13. Sept. prognatam Genitore, *Dno Jano Bredalino*, Eccleſiarum Klouborg, Törſting & Græſtrup

ſtrup Antiſtite, Genetrice *Maria Oligeri F.* Avulſam de mammis & jam lallare incipientem Muſis me meus ſacrificavit Parens dilectiſſimus, & cum ſuccedentia annorum incrementa permitterent, informandam ſuſcepit, ſuaque ipſius diſciplina innutrivit usque ad annum ætatis meæ viceſimum. His peractis, Generoſiſſima Dna in Quitzowholm in Fionia, *Birgitta Giœ*, me duabus Nobiliſſimis Virginibus *Annæ Ameliæ Hœvel* & *Eliſabethæ Hœvel* & Nobiliſſimo Juveni *Joh. Henrico Hœvel* Informatricem a Parentibus petiit, petitam impetravit. Qua demandata mihi ſparta biennio, & quod excurrit, functa ſum, & quidem ita, ut, (quod extra jactantiam dico) ſatis meæ fecerim Dominæ, quæ me tunc temporis non dimiſiſſet, ni alio vocaſſent fata, Summique Numinis providentia, quæ me Conjugem deſtinaverat *Nicolao Severini*, prædiorum Brahesholm & Sandagger in Fionia redemtori, cui ſum a Parentibus addicta, deſponſata, elocata. Conjugium noſtrum ad decimum ſeptimum usque annum protractum eſt, octona prole, una maſcula, reliquis femellis fœcundum. In hoc vitæ genere parum mihi licuit vacare pluteis: a ſtudiis enim me avocabat partim Morbus ſocii, per aliquot annos conti-

 nuatus,

nuatus, partim cura rei domeſticæ, quæ ægrotante Marito, meis (ſecundum Deum) ſolius incumbebat humeris; arrepta tamen interdum idonea ſtudiis obſequendi occaſione, me ſuas ad partes revocabant Muſæ, me, inquam, cui nihil dulcius erat, nec erit unquam (non pudor eſt fateri) quam bellaria Muſarum mellitiſſima. Poſt expletos, ut antea dixi, in conjugio annos ſeptendecim, vitam meus finiit Conjux. Cujus obitum mœſtiſſima Vidua, cum ſeptem, qui adhuc ſuperſunt, liberis triennio luxi. Inter hujus viduitatis tranquillitates, ſtudia, quæ erant in conjugio juſto ſegnius tractata, recolui, cumque Muſis amicitiam reſtauravi. Hinc volente Deo, & conſentientibus amicis, ad iterandas nuptias animum converti, meamque fidem addixi SS. Miniſterii Candidato & Philoſophiæ Baccalaureo, *Erico Bredalino*, quem ſibi in officio Comminiſtrum ſumſit perdilectus meus Frater, *Dnus Oligerus Bredalinus*; ſecundas haſce nuptias, in quibus ſextum jam dego annum, ſecundas quidem hactenus, ſed ſteriles Divina voluit providentia. Mea quod attinet ſtudia, nihil prius, nihil antiquius eſt (Deum teſtor) quam cum Muſis & mutis illis Magiſtris converſari. Ut verbo me expedi-

pediam, Litteras amo & ſum ad cineres amatura,

Anna Margareta Bredalina,
Erici Bredalini.

Dauſing. d. 15. Maj.
Anni 1703.

Aliud quoque penes me ſervatur *Bredalinæ* 'αὐτόγραφον, ad Virum plur. Reverendum & doctiſſimum, Dn. *Joh. Olai Neopolitanum*, Eccleſiarum Lösning & Korning in Diœceſi Arhuſienſi Paſtorem fideliſſimum, olim tranſmiſſum, quod in gratiam curioſi Lectoris heic quoque exhibeo.

Salutem!
Avunculorum facile princeps, Dne Johannes Neopolitane!

NOviſſimæ binæ tuæ literæ mihi vehementer gratiſſimæ acciderunt, literas, inquam, benevolentiam ſpirantes, amoris in me tui indices, & tam tui ſimiles, quam tu es tibi, in ipſis me talem depingis, ut nullum certe mei ſexus verecundiæ ſenſum retinerem, præſertim cum ſatis ſuperque conſcia mihi ſim meæ ſupellectilis, ſi tanta encomia, detecta fronte, admitterem: Grandior profecto epiſtolarum tuarum cha-

 racter,

racter, quam ut coärctari ſe patiatur intra mediocritatis meæ anguſtias. Non ſum illa, quam me facis, ſedeſſe conor, ſed tibi idem ac per aquam videnti evenit, majora omnia judicat, ſic tibi, qui per favorem; nunquam amicitiæ tuæ obliviſcar, quæ omnino vera eſt, condolendo dolentibus, & labantem triſtitia animum piarum conſolationum ſtatumine ſurrigendo. Frater noſter peramandus Dnus *Ericus Bredalinus*, ad nos pervenit heſterna veſpera, eumque avidæ amplexæ ſumus, abſente Clariſſ. Dno Fratre; tantum autem gaudii veniens non tulit, quantum abiens doloris; dolore procul non amittitur, quod cum amore poſſidetur. Veſtem holoſericam dilectiſſ. Materteræ placere, nobis omnibus perplacet, terat eandem ex voto, cum ſalva corporis valetudine, & ipſa teratur in illa. Vale cum tua lecti ſocia, Matertera mihi ſvaviſſ. à Clariſſ. Fratre & Genetrice dulciſſ. animitus ſalutatus, & conſtanti amore proſequere

Divi Nicolai Schyggæi
Annam Margaretam Bredalinam.

Schaddæ, d. 17. Febr.
An. 1696.

Nor-

Norvegam eſſe *Bredalinam*, minus recte ſcribit *Schachtius* in Specimine ſuo *de Feminis Danorum litteratis*, conf. *Nova Litter. M. B. & Sept.* MDCC. p. 212. Nata enim eſt in ædibus Paſtoralibus Schaddanis in Nomarchia Wratſenſi Diœceſeos Arhuſienſis apud Cimbros.

§. XIII.

Agatha *Brokkenhuus* Virginis doctiſſimæ famam inter Danos jam dudum obtinuit, notante *Sperlingio* in MS. ſuo p. 316.

§. XIV.

Birgitta *Brokkenhuus*, inter eruditas Danas celebris, *de Regibus Daniæ* metris Danicis commentata eſt; ejusque MStum olim exſtitit apud Reverendum Eccleſiæ Helleſtedenſis in Sædlandia Paſtorem, Dn. *Petrum Septimium*, ſub titulo: *Danſke Konger*, *Aar* 1590. *d.* 22. *Dec.* teſte celeb. *Sperlingio* in ſuo MS. pag. 678.

§. XV.

Catharina *Brokkenhuus*, Soror *Agathæ Brokkenhuus*, nuper laudatæ, Virgo itidem erudita, iisdem cum Sorore ſtudiis occupata fuit, juxta *Sperlingium* l. c. p. 316.

§. XVI.

Eliſabetha (*Elſebe*) *Brokkenhuus* Nobilis erat

Matrona & Poëtria pro ſeculi, quo vixit, ratione illuſtris. Hiſtoriæ patriæ admodum perita conſcripſit (1) *Hiſtoriam Regum Daniæ*, metro vernaculo expreſſam an. 1589. quam Matri ſuæ, Nobiliſſimæ Matronæ, *Catharinæ Schram* Neoburgi die. 1. Apr. 1590. inſcripſerat. ubi DAN, primum Danorum Regem, ita loquentem introducit:

Dan.

Kongelig Stat, Naun og Rige
Vidſte Jeg intet af at ſige;
Men Marken, ſom Vi bode udi,
Blev kalded Dannemark, fordi
At Jeg heed Dan, dend förſte Mand,
Som eene raadde gandſke Land.
Af Tydſkland fik Jeg min Fyrſtinde,
En mægtig og naunkundig Quinde;
Dend Tydſke megen Ære vete,
Ved naun de kalded Hende Grete.
Mig ſynes, det var i de aar,
Som David *Konge i Jœdeland vaar.*

Quod MS. habetur in Bibliotheca Nob. *Catharina Brahe* in 4to. Conf. Catalog. p. 159. (2) *Meditationes metricas, itidem Danicas, ſuper Inſignia Nobilium, quæ in Templis Sorano, Röeskildenſi & Ringſtadienſi inveniuntur.* NB. Quam huic *Eliſabethæ Brokkenhuus* Hiſtoriam Regum Daniæ tribuit *M. H. Schachtius* l. c. verius *Birgitta Brokkenhuus* eſſe opinatur *D. Ottho Sperlingius* in MS. ſuo p. 808. quod an ita ſit, diſpiciant alii. Ego vero ipſum MStum

vidi

vidi nuper d. 6. Julii h. a. in Bibliotheca Nobiliſſimæ, mihique faventiſſimæ Virginis, *Catharinæ Brahe*, quod prima pagina hunc gerit titulum: **Danſke Konger.** *Det er en Forſtandig Mand, ſom af det, der før er ſkeedt, og det, ſom nu ſkeer, kand fornemme det, ſom ſkal ſkee.* Elsebe Brokkenhus *med egen Haand, Anno Domini* 1589.

§. XVII.

Geſa (vulgo *Gieſe*) *Brokkenhuus*, Filia *Claudii Brokkenhuus* & *Emerentiæ Jernſkæg*, Virgo Nobilis, pie conſcripſit idiomate Danico *Libellum Precationum* in 8. qui MS. ſupereſt in Bibliotheca ſpectatiſſima *Catharinæ Brahe*.

§. XVIII.

Eliſabetha *Bryſche*, e nobili *Bryſchiorum* ſtemmate ortum trahens, Filia erat *Eyleri Bryſche* de Dallund & *Gertrudis Lunge;* nupta primum *Magno Krabbe* & deinde *Henrico Bilde*, ex utroque numeroſæ prolis Mater, 9. ſc. Filiorum & 6. Filiarum. Reliquit *Librum Genealogicum Nobilitatis Danicæ* a *Nicolao Axilii Juul* poſtmodum exſcriptum in Fol. qui inter Codices MSS. Bibliothecæ *Roſtgardianæ* memoratur: vid. Catal. p. 540. n. 952.

§. XIX.

Eleonora *Chriſtina*, Matrona illuſtris, Filia Regi glor. CHRISTIANO IV. ex *Chriſtina Munch* genita, poſtea Conjux *Cornificii Ulfeldii* facta eſt, ſed

ſed fato Mariti famoſi in cuſtodiam an. 1662. delata, e qua poſtea anno 1685. emittebatur. Conf. *Andreæ Hœjern* Dännemarckiſche Geſchichte in Tab. V. ad p. 495. In ipſo vero carcere in litteris, quibus a rudioribus etiam annis asſveta fuerat, acquievit, variarum Linguarum, Romanæ pariter ac exoticarum, ſcientiſſima. Carmina promtiſſime fudit; Muſicam, Arithmeticam & Picturam addidicit. Penicillo & acu varia Opuſcula ſane rariora elaboravit, quæ in Regio Muſeo ſervata multum admirationis in animis intuentium relinquunt. Opus eruditum, ſed adhuc ineditum, reliquit, ſc. *Heroinarum prudentiſſimarum, fortiſſimarum, caſtiſſimarum* &c. *Vitas*, quas Danice collegit & delineavit in 4. quod in Bibliotheca *Catharinæ Brahe* vidi d. 6. Jul. 1729. Libellum Hiſpanicum, cui titulus: *Matthias de los Royes*, patria Lingua vertit. *Partem Cleopatræ*, ob elegantiam ſcriptionis, Danice quoque transtulit. At horum nihil typis ſubjectum. Publice impreſſa exſtant Carmina, ad Dorotheæ Engelbrechtiæ Muſam, tecto tamen nomine *Leonoræ Chriſtinæ* ſub his: *af dend, som Lider med Chriſto.* Dum captiva vixit, ad mortem ſe ſemper compoſuit, mortualia ſua præparavit, lintea, pulvinos, ſtrophia ſua manu ſingula ex ſerico albo; inter alia pulvinare, quod capillis ſuis, qui præ mœrore defluxerant, effartum erat, concinnavit, cui telam quandam ingenioſe & ſummo artificio pampinantem ſuperinduxit, quæ verſiculos hos Danicos Latinis litteris venuſte intextos habuit:

Hvor

Hvor mangen Tanke ſpaan og Hiertens Sukke - knude
Tilſammenbefted er paa denne Brude-Pude?
Naar ſom nedlegged er mit Hoved paa ſit Haar,
Da löſed er mit Baand; min Siæl i Glæden ſtaar.

Quos ita Latine expreſſit celeb. D. *Ottho Sperlingius* in ſuo MS. p. 315.

Quot pectus curæ, quot cor ſuſpiria figunt,
Sæpius hanc telam dum mea figit acus?
Aſt hos exanimis premo cum nova Sponſa capillos,
Vincula me fugient, gaudia vera manent.

Strophiolum ſericum, ad faciem defunctæ tegendam, his verſiculis ſub acu pinxerat:

Jeg viſſeligen veed, at Du, Min Frelſer, lever,
Som mine tôrre Been af Joordens Stöv udkrever,
Og dennem ſmykker ud i deres bæſte bud,
At môde for Din Stool og Dom, ô ſtore Gud.

Da

Da ſkal Jeg i mit Kiöd med mine öjne ſkue
Din Majeſtetijk Glands i Din rætfærdig
Lue,
Jeg, Jeg ſkal ſee min Gud, ej fremmede
for Mig;
Hielp, Jeſu, Brudgom kiær, Jeg kand
beſtaa for Dig!

Quos hoc modo Latine reddidit laudatus *Sperlingius* l. c. p. 317.

Te mihi Præſidium certo ſcio vivere ſolum,
Oſſa Tibi terram reddere ſicca jubes.
Ornatum, venas & nervos ſumo priores,
Judice Te, pœnam judiciumque fero.
His oculis Numen Magnum Solemque videbo,
Cujus inexſtinctus fulgor ubique micat.
Ipſe ego, non alius, cernam, quem cerno, Jehovam,
Tu modo fac, cauſſa ne, bone Jeſu, cadam.

His adjungere lubet, quæ de Ipſa *Collectores Nov. Litter. M. Balth. & Sept.* memorant ad an. 1698. p. 81. *Die* 16. *Mart. anni hujus* 1698. *Illuſtriſſima Domina, Comitiſſa* Leonora Chriſtina, *CHRISTIANI IV. Regis filia, Uxor quondam Comitis*, Cornificii Ulfeldii, *obiit in Monaſterio Mariaboënſi*

boënſi in Lalandia, quod habitavit ab an. 1686. *ibique ſepulta* 6. *Aprilis quieſcit. Nata an.* 1621. *d.* 22. *Jun. ætatem fere ad annos* 77. *extendit. Quantis fortunæ luſibus & ludibriis fuerit expoſita, totus orbis novit; quanta vero Clementia Auguſtiſſimus Rex CHRISTIANUS V. illam, ejusque domum complexus ſit, non minus notum hactenus extitit, & Illa Carminibus ſuis elegantiſſimis teſtatum fecit. Erat enim in iis pangendis fœcundiſſimo ingenio, & eruditione tam Latinæ, quam exoticarum Linguarum examuſſitata prædita, Judicii & prudentiæ ſingularis, ſupra ſexum. Quin & Heroina tanta* Heroinarum prudentiſſimarum, fortiſſimarum, caſtiſſimarum &c. Vitas *collegit & elaboravit, quod opus adhuc ineditum ad hæredes tranſilit. Propter hanc elegantem eruditionem & ingenii præſtantiam hoc loco merito deprædicanda.*

§. XX.

Dorothea *Engelbrechtia*, Norvega, anno 1635. Patre nata eſt Viro celeberrimo, *M. Engelberto Georgii*, initio Scholæ Bergenſis Rectore, deinde Eccleſiæ Cathedralis Bergenſis primario Paſtore, Matre *Anna Wrangel.* Poſtea, anno ſc. 1652. nupſit Succeſſori b. Parentis, *M. Ambroſio Hardenbech*, Eccleſiæ Cathedr. Bergenſis Paſtori primario; Femina a Sacri Carminis facilitate ac nitore commendatiſſima, ac ab omnibus noſtræ gentis Eruditis applauſus merita, ob ſequentia in vulgus edita (1) *Sialens Sang-Offer*, h. e. *Sacrificium Animæ Canticum*, Cantiones Sacras XXX. VII. continens; approbatum ab Epiſcopo Bergenſi, *D. Nicolao Randulfio* d. 26. Jan. 1677. & a Theologo Hafnienſi, *D. Chri-*

ſtophora

ſlophoro Schletter 1685. Hafn. 1685. in 8. Daniçe. (2) *Taare-Offer*, ſive *Sacrificium Lacrimarum*; approbatum a *D. Nic. Randulfio*, Bergenſi Epiſcopo die 9. Jul. 1684. & a *D. Joh. Wandalino*, SS. Theol. Prof. Hafnienſi d. 9. Sept. 1684. Hafn. 1685. in 8. D. (3) *Et Chriſteligt Valet fra Verden og Længſel efter Himmelen*, i. e. *Pium Vale Mundo dictum & Cœli Deſiderium*, approbatum a laudato *D. Randulfio*, d. 11, Jan. 1698. Dan. (4) *Carmen Exequiale Danicum in funere ſuo decantandum.* Hafn. 1702. ½ plag. in 8. (5) *Carmina vernacula varii argumenti*, ad Regem, Magnates & Amicos ſubinde ſcripta, quorum non nulla publicis typis expoſita ſunt, plura vero MS. deliteſcunt. Imago Ejus æri inciſa eſt, ubi repræſentatur *Dorothea* in Muſeo ſuo ſedens ad Menſam Libris & armis ſcriptoriis inſtructam, veſtitu moderato ac ſimplici induta. Quam imaginem Epigrammatis vernaculis ornavit b. *D. Thomas Kingovius*, Fionenſium Epiſcopus & Poëtarum Danorum facile princeps. Superius enim hæc leguntur:

Jeg ſidder ſlet for Verdens Flok,
Som paa mig Kaſter Oejet,
Men pynted og ſtaffered nok,
Naar Gud kun er fornöjet.

Et inferius:

Hvo vil forundre ſig, at Artighed og Ære
J dette Anſigt ſig vil lade ſyynlig være?

At

At Sindighed dend ſeer af diſſe öjenſteene?
At Qvindens Skialdre-Pen fortiæner Laur-
bær-greene?
Hun DOROTHEA *er*, *det er*, Guds *egen*
Gave,
Juſt paa et ENGLEBRÆT. *Hvad kand*
mand bedre have?

Th. Kingo.

Quæ Carmina Latine ita reddidit Vir Clariſſimus, *Jacobus Oerſted*, Scholæ Regiæ Coldingenſis Rector, Conſobrinus meus dilectiſſimus:

Hoc habitu ſiſtor mundano immunda thea-
tro,
Sed ſum munda ſatis, dummodo mun-
da Deo.

* * *

Quid mirum, facies cur hæc radietur ho-
nore,
Dulciter & toto rideat ore Charis?
Diſpoſitos ſenſus quid mirum prodat ocel-
lis,
Laureolasque gerat Femina dulce ca-
nens?

D DO-

DOROTHEA *eſt*; Donum Divinum *Nomen adumbrat*
In tabula ANGELICA; *quis meliora dabit?*

In eandem imaginem ita cecinit *Paul Brand*, olim Med. D. & Poliater Bergenſis:

Hier ſiehſtu DOROTHEÆ Bild/
Deſſ'n Ruhm die Norden-Welt erfüllt.
Die Fama ruft mit hellem Ton:
Sie iſt der Frauen Zierd und Kron.

Etiam *Dnus Joachimus Jacobi Kaae*, Eccleſiæ Crucis apud Bergenſes Symmyſta, effigiem hujus Matronæ hoc Epigrammate Latino ornavit:

Exhibet in parva vultumque habitumque tabella
Femina, ſed magnis æquiparanda Viris.
Quæ ſexum raro patriamque illuſtrat honore,
Lesbidaque Arctoo provocat ore lyram.
Qui faciem laudas, cur non & cetera confers?
Et credes, plures hic habitare Deas.
Idalia hic formam Venus invenit, inclyta mores
Penelope, genium Debora dia ſuum.

Carmi-

Carmina Ejus Sacra lucem publicam ſæpius a ſpexerunt, ſemper plurimis Eruditorum acclamationibus comitata. Inter quas ſunt ſequentes *Otthonis Sperlingii*, J. U. Doctoris & Conſiliarii Regii, & *D. Joh. Friderici Treubleri*:

Ad DOROTHEAM HARDENBECKS:
Hendecaſyllabi.

HARDENBECHIA, *tu facis redire*
Scaldras Norrigæ tuæ priores,
Longo jam veluti ſitu ſepultas.
Baderum cecinit vel illa Norum
Gens, & carmina detulit Deaſtris,
Tu reddis meliore verba plectro,
Chriſto ſacra facis, Deo Deorum,
Strigoſasque jubes valere gerras,
Et veras patriæ redire Runas.
Hiarnum Dania viderat Poëtam
Et doctum meruiſſe regna Scaldrum,
Te Normannia non, ô Scaldra major!
Reginam faciet ſibi minorem.

Ottho Sperling,
J. U. D.

MATRONÆ *Nobili,*
Coſtæ Caſtiſſimæ

Viri admodum Rever. Clariſſ. ac Doctiſſimi,
Domini
M. AMBROSII HARDENBECCII &c. &c.
Patroni Summi, Amici Optimi.

Hos fructus, hæc Dona Dei fert Norica tellus,
Dona Dei dantur, qui ſcit amare Deum.
Huc properate Viri, Matronæ pergite, ſacrum
Exemplum vobis ſumite, tanta ſequi.
Omnes ingenium merito miramur & artem,
Attamen e cœlo ſpiritus ille venit.
Gratulor ingenio excelſo, Deus augeat annos!
Tempore ſic parvo plurima ſcripta dabis.

Joh. Frid. Treublerus, D.

Præterea ad *Dorotheam Engelbertiam* leguntur heic Carmina, quæ compoſuerunt *Maria Fabricia Woldenb.* (de qua infra dicetur) *D. Joh. Claudii Roſingius*, Epiſcopus Chriſtianienſis, *L. C.* i. e. *Leonora Chriſtina* (de qua ſupra) *Aminda*, i. e. *Margareta Laſſen*, *Helena Margareta Friſia* (quas poſthac memorabo) *Steno Bilde*, Vir Nobilis, *D. Thomas Kingovius*, Epiſcopus Fionenſis. *M. Henricus Thomæ Gorner*, tum Eccleſiæ Bircherödianæ Paſtor,

Paſtor, inde Viburgenſis Epiſcopus, *M. Laurentius Thura*, Parens meus, tum Scholæ Coagianæ Rector, hodie Epiſcopus Ripenſis, *M. Andreas Bruun*, Eccleſiæ Cathedr. Bergenſis primarius Paſtor Canonicus & Præpoſitus, *M. Ottho Joh. Schröder*, Templi Novi Bergenſis Paſtor prim. *M. Janus Severini Hofmannus*, Templi Crucis Berg. Eccleſiaſtes primarius, *M. Claudius Nic. Blechingius*, Scholæ Berg. Rector, *M. Edvardus Edvardi*, Scholæ Bergenſis Con-Rector, *Dn. Chriſtophorus Garmannus*, Eccleſiæ Oos Paſtor, *Dnus Joachimus Kaae*, Eccleſ. S. Crucis Bergenſis Comminiſter, *Dn. Joh. Olavius*, Paſtor Randruſianus, *Dn. Petrus Septimius*, Philologus Regius Danicus & Paſtor Helleſtedenſis in Sædlandia, *M. Janus Petri fil.* Paſtor Chriſtiansdal & Sanderum in Fionia, *H. Blat*, *Nicolaus Bartoli*, *Ahaſverus Eſchilli Bartholinus*, Poëta Regius, *J. Munthenius*, *Ananias Engelberti*, *Dorotheæ* Frater, *M. Ambroſius Hardenbech*, *Dorotheæ* Maritus, *Engelbertus* & *Lucas Hardenbechii*, *Dorotheæ* Filii, aliique plures, ſed quorum nomina litteris tantum initialibus exprimuntur. De hac Norvegorum Poëtria ita *Collectores* Nov. Litt. M. B. & Sept. an. 1699. p. 14. *Celebris Poëtria & Skialdra*, Dorothea Engelbrechtia (Borrichio & Morhofio *olim* de Poëſi & Ling. German. p. 409. *laudata*) *crebris etiamnum Carminum vernaculorum ſpeciminibus*, *novaque*, *quam meditatur*, Hymnorum ſuorum *editione*, *inſigni auctario locupletata*, *monſtrat*, *ne in illa quidem effœta ſenectute exaruiſſe feliciſſimam*, *qua huc usque polluit*, *venam Poëticam*. Conf. an. 1700. p. 82. p. 215. 216. an. 1702. p. 367. ubi Ejus honorifica injicitur mentio.

§. XXI.

Maria *Fabricia* patrem habuit *D. Chriſtianum Fabricium*, celebrem quondam Medicum Hafnienſem. In Piarum Cantilenarum *Dorotheæ Engelbrechtiæ* Editionem Sextam Carmen Vernaculum compoſuit, quod in ipſo Libri frontiſpicio ſiſtitur. Adhuc in vivis eſt, quantum ſcio, maritumque habet *D. Woldenbergium*, Medicum Practicum ac Phyſicum Civitatis Bergenſis in Norvegia. Ex ſororibus ejus *Anna Fabricia* nupta fuit primum *Georgio Reitzer*, Conſiliario Regio, poſtea *Caſparo Bartholino*, Equiti Aurato Conſiliario Conferentiæ, ſtatus & Juſtitiæ, & in Acad. Hafnienſi Profeſſori celeberrimo.

§. XXII.

Eliſabetha *Falſen*, Virgo piè erudita, clariſſimis parentibus prognata, Othiniæ hodie ſuperſtes eſt, ubi ætatem glorioſe agit, ſtudiis ac meditationibus ſacris plane deditiſſima. Scilicet ab ipſis fere incunabulis valetudinem non ſatis proſperam experta, Codicem Sacrum, Libroſque aſceticos Gallice, Germanice & Danice conſcriptos pia ſedulitate aſſidue evolvit, &, poſt acquiſitam ſibi ex Eruditorum ſcriptis haud vulgarem in Theologia & Hiſtoria Eccleſiaſtica notitiam, ipſa quoque animum ad ſcribendum adjecit. Ne vero gratis hoc aſſerere videar, duas plagulas in 4. poſſideo, manu ipſius hujus Nobiliſſ. Virginis ſcriptas, mihique die 13. Aug. 1729. per Clar. & doctiſſ. *Severinum Aacherſen*, in Gymnaſio Regio Othin. Philoſ.

Prof.

Prof. & Scholæ Cathedralis Pro-Rectorem, Amicum meum certiſſimum, transmiſſas; ex quibus omnem, non de ipſa modo *Falſenia*, ſed & de *Anna Margareta Laſſon*, infra §. LVI. memoranda, notitiam hauſi. In his pagellis varia ſcripta memorat, a ſe compoſita, ſed non alium in finem, quam ut Ipſa, ſacris meditationibus intenta, Deum, Creatorem & Redemtorem ſuum ardentius amare & colere diſceret, meliusque ac firmius in Religionis Chriſtianæ Articulis inſtitueretur. Ecce autem Scriptorum, ab Illa ſermone patrio hactenus delineatorum ſeries. (1) *Siælens Aandelige Forraads-Kammer*, *Promtuarium Animæ Spiritule.* Variis hoc abſolvitur Capitibus *de Fide*, *Oratione*, *Fructu & Utilitate Crucis &c. Orationibus* item *Metricis ac Hymnis.* an. 1724. (2) *Explicatio Decalogi*, variis Concionibus comprehenſa, e Lingua Germanica in Danicam translata. 1725. (3) *Matthiæ Erbergii*, Auctoris Germani, Scriptum an. 1699. typis ſubjectum, Danice redditum, cui titulus eſt: *Tröſte-Vand opdraged af dend Ausburgiske Confeſſions reene Vandkilde*, i, e, *Aqua Conſolatoria, e liquido Auguſtanæ Confeſſionis fonte hauſta.* 1722. (4) *Compendium Biblicum.* 1726. (5) *Salutaris de Deo & ſeipſo Notitia.* 1726. (6) *Theologiæ Moralis Compendium, in quo homini ſui ipſius Notitia detegitur.* (7) *Moralia quædam pia, e Gallico & Germanico Danice translata.* 1727. (8) *Tractatus de Chriſti perſona, & officii Ejus Meritorii præſtantia.* 1728. (9) *Brevis Inſtructio de Chriſtianismi & baptismi requiſitis.* 1728. (10) *Orationes variæ*, *Cantiones & Meditationes piæ, metrice variis temporibus elaboratæ.* (11) *Fundamentum Chriſtianismi*; 1727. *ubi uno Capite deciduntur quæſtiones; Cur ni Deus aut impediverit lapſum Protoplaſtorum?*

ſtorum? aut poſt lapſum reſurgentis hominis naturam fecerit impeccabilem? (12) *Scriptum de arcana ſui ipſius deceptione.* 1729. Omnem a ſe laudis & vanæ gloriæ cupidinem amoliri modeſte latagit *Falſenia;* quo enim animo hæc concinnaverit ſcripta, ipſa prodit his verbis: *Særdeles har Hun övet ſig i Theologiens ſtudering, hvorved Hun da har ſtunded ſig fornöjed at extrahere og forſatte adſkillige Skrifter til ſin underviisning, og at have tydelig begrib af Chriſtendommens beſkaffenhed, hvorved hun ſamlet ſig* (diſſe optægnede) *Skrifter, ſom paa nærværende tiid findes i Hendes eje, til Hendes egen opbyggelſe; hvormed Hun ſelv endnu ikke har noget viſt deſſein til Trökken det at befodre, formedeſt Hun tænker, det ikke kundes findes ſaa accurrat i ſtiil og ſkrive-maade, ſom tilhöörte; men ellers, af Kiærlighed til ſin Næſtes gaun, önſkede, at det efter hendes dage motte komme i en brav Theologi hænder, ſom kunde have lejlighed det at revidere og giennemſee, om noget deraf kunde findes nöttigt til det aldmindelige Beſte.* Carminis quoque vernaculi gloria præcellit, quod evidenter ſatis evincit pia Ejus Meditatio, viginti ſtrophis conſtans, quam MS. poſſideo ſub titulo: *Fornöjelig Udgang af Verden, og glædelig Indgang i Himmelen, i en gudelig Betraktning forſatted.*

§. XXIII.

Berta *Friis*, Danicæ gentis Nobilis Femina, Medicis ſtudiis paſſim celeberrima, laudatur Clar. *Thomaſio* in Diſſert. ſuis *de Eruditione Feminarum*, citante celeberrimo *Olao Borrichio* in Præfatione de *ortu & progreſſu Chemiæ.*

§. XXIV.

§. XXIV.

Chriſtentia *Friis* inter doctas Danorum Mulieres refertur ab Anonymo quodam, cujus nomen litteris ſaltem initialibus *N. A.* exprimitur, in Carmine ſuo Gratulatorio ad *Chriſtinam Jani fil.* infra memorandam; ubi inter alia hæc leguntur:

Lad Engelbret, Chriſtentze Friis
Lad Heebo, *lærde Dammer*,
For deres Bögger have priis,
Som de af hver annammer.

Fuit Illa *Hermanni Friiſii*, Conſulis Middelfartenſis in Fionia, Filia. Nupſit Viro Reverendo & Clariſſ. *M. Petro Arvidi*, Eccleſiarum Skamſtrup & Frydendal in Sædlandia Paſtori. Libellum Danicum meditata eſt, quam *Sialens ratte Liggendeſa*, i. e. *Verum Animæ Theſaurum* vocavit, Hafn. 1687. in 12. editum; qui non ſolum pietate, ſed & eruditione conſpicuus eſt, nec proſa duntaxat nobilis, ſed & poëmatis ſanctis & piis; unde magna illi teſtimonia & encomia dixerunt Viri admodum egregii & præclari, *D. Johannes Baggerus*, Sædlandiæ Epiſcopus, inſigni laude Feminæ opuſculum approbans, &, qui eum ſecuti ſunt, tot præcones, *Johannes Joh. Alburg*, Paſtor Veilbyenſis in Fionia, *Ludovicus Pontoppidanus*, Eccleſiaſtes Tybergenſis & Herlufmaglenſis, *Laur. Gregorii Vellejus*, Paſtor Hammer & Lundby, *Janus Gregorii Vellejus*, Paſtor Sneſerenſis, *Andreas Eberhardi Beyerholm*, Eccleſiaſtes Herridslöf & Breininge in Lollandia,

D 5 P. J.

P. J. Ferslovius, Paſtor Gunderslevienſis & Schelbyenſis & *Petrus Andreæ Nyborg*, SS. Miniſterii Candidatus, qui omnes pietatem ejus & eruditionem non contemnendam deprædicarunt. Librum ſuum *Johanni Rantzov* & *Sophiæ Amaliæ Friis* dedicavit. Obiit anno 1693. Menſe Januario, in Templo Skamſtrupenſi die 2. Febr. ſepulta.

§. XXV.

Helena Margareta *Friis*, Ripenſis, *Chiliani Friſii*, Conſultis quondam Ripenſis, & *Annæ Sperlingiæ* Filia, ætatis ſuæ anno ſexto Carmen exiguum *Dorotheæ Engelbrechtiæ*, Poëtriæ Norvegicæ, Operibus Sacris præmiſit. Hæc Avunculi ſui, *D. Otthonis Sperlingii*, ductu primis annis ad litteras humaniores & Latinam Linguam inſtituta, ea ætate eos fecerat progreſſus, ut hoc Carmen, quatuor verſibus conſtans ingenio ſuo ad bonas artes aptiſſimo componeret, & laudibus iſtius mulieris celeberrimæ dicaret, cum voto, ut talis *Dorothea* aliquando evadere poſſet. Carmen illud ita legitur:

In Norden wohnt/ die ich nicht ſeh'/
Die Weitberühmte Dorothe/
Soll ich noch länger ſeyn auf Erden/
Wünſch ich als Dorothe zu werden.

Helena Margareta Friſia.

A. ætatis meæ ſexto.

Sed cum alia Avunculum avocarent, & cum Nobiliſ-

biliſſimis *Buchvaldiis* peregrinari cogeretur, profectus illi in herba veluti exſtincti ſunt; *doleoque* (verbis utor ipſius Clariſſimi *Sperlingii* in ſuo MS. p. 800.) *metantæ indoli*, *quæ erat optima & fœcundiſſima, non potuiſſe ulterius præeſſe.* Poſtea matrimonio juncta eſt *Carolo Guſtavo Roſenbielke*, Nobiliſſimo ex Sveca Natione Juveni.

§. XXVI.

Lyche Sophia *Friis*, Poëſeos Danieæ, Latinæ, Germanicæ, Gallicæ & Græcæ cultrix feliciſſima, nata eſt Othiniæ in Fionia an. 1699. Menſe Octob. Patre Conſule *Friis*. Adhuc ſuperſtes eſt, &, quantum ſcio, innupta. Hujus Carmen *in Feſtum Magnum Jubilæum* anno 1717. editum, & Auguſtiſſimo Danorum Monarchæ, FRIDERICO QUARTO oblatum, poſtea quoque *Hilariis Evangelicis* Excellentiſſ. *Erneſti Sal. Cypriani* Gothæ 1719. in Folio publicatis inſertum, Curioſo Lectori heic ſiſtimus:

Dend Salig; Doctor Morten Luther, *indføres ſaaledes takkendes og talendes til Danmarks og Norges, de Venders og Gothers, Hertuger udi Slesvig, Holſtein, Stormarn og Ditmerſken, Grever udi Oldenborg og Delmenhorſt, Stoormægtigſte Konger paa Jubel-Fæſten* 1717.

allerunderdanigſt af Lyche Sophie Friis *fra Odenſe.*

Tak,

Tak, Förſte FRIDERICH, *for Du toog ind i Norden*
Guds dyre Oord, ſom reent er taldt og tolked vorden,
J tvende hundred Aar, fra förſt det luttred blev
Fra Pavens Skum og ſkarn, der om i Verden dreev.
Tak, Tredde CHRISTIAN, *der undte Mig dend Ære,*
Og, ſom Kong FRIDERICH dend Förſte, *vilde være*
(*) *Saa brav og Naadig, at Jeg motte ſkrive Dig*
Med Bud og Breve til, hvad Himlen lærdte Mig.
Tak, fleere Konger *med i Nordens Tvilling-Rige,*
Som vilde meer og meer til Himlens Höjde ſtige,
Og ſtræbe med at faa Guds Oord og Herrens Frygt
Hver Underdan i Sands og Siæl og Hierte trykt.

Men

(*) *Plus vice ſimplici litteras Lutherum ad Fridericum I. & Chriſtianum III. dediſſe novimus. Videatur Hvitfeldius in Annal. Chriſt.* 3. *& Maſius in Epiſtola ad Botſaccum p.* 47. *ſeqv.*

Men Tak i ſær, o Tak! Kong FRIDERICH
dend Fierde,
*Gudſkandſe Dig omkring med Engle-begn
og gierde,*
*For Du vil tænke paa, hvad Jeg har
lærdt og læſt,*
*Og Pavens avner hen i Vejr og vinde
blæſt.*
*Hold Jubel-Fæſt i aar med Majeſteet og
Ære,*
J Evighedens Aar ſkal Du *velſigned være,*
*Og Verdens Krönike vil vorde fuld
deraf,*
At Store Konger og har hedred LU-
THERS *graf.*

Tentarunt portas Erebi ſubvertere Waldus
Wiklefus *atque* Huſſus, *labra ſonora*
Dei.
Pluraque ſub modio latuerunt aſtra Papali,
Quæ zeli & cæli torſit & urſit amor.
Enthens at ſupereſt Megalander, *adorea
Pindi*
*Cujus in ore tonans ignis & ardor e-
rat.*
Quo cecidit Babylon, quo reſtaurata Lycea,
Quo viget Ara, Chorus, quo quoque
Numen *ovat.*

Hoc

Hoc colit AUGUSTI *pietas feſtiva* POTENTIS,
Et transfert NOMEN *Lumen in omne* SUUM.

Publicis quoque typis expreſſum exſtat Ipſius *Carmen Gratulatorium* in Nuptias Celſiſſimi Danorum Principis, CHRISTIANI & illuſtr. ác Clementiſſimæ Principis, SOPHIÆ MAGDALENÆ, Danice, Germanice, Gallice, Latine & Græce elaboratum. Multa alias hujus *Friſiæ* Carmina varii generis circumferuntur, ſed nondum impreſſa, quæ eruditionem ejus & ſtudium Poëſeos haud vulgare ſatis loquuntur:

§. XXVII.

Chriſtina *Fuiren*, Domina de Söndervang & Stöbringegaard, Claris & illuſtribus Parentibus orta eſt, Patre ſc. perilluſtri & Generoſiſſimo Domino, *Dieterico Fuiren*, Barone de Furiendal, S. R. M. Conſiliario & in ſuprema Juſtitiæ Curia Aſſeſſore, Matre vero Nobiliſſima *Margareta Eleri*; Conjux an. 1703. die 28. Mart. facta Viri illuſtriſſ. & Nobiliſſ. *Jani Harbo*, Domini de Hovenek, Equitis Aurati, S. R. M. Conſiliarii Intimi, Status, Belli & Admiralitatis, hodie vero in viduitate, ſuperſtes, Matrona hæc illuſtriſſima, omnibusque virtutibus ornatiſſima, non modo litteratis maxime favet, ſed & litteris Ipſa laudabili conatu incumbit. De qualibet enim Materia Theologica, Hiſtorica & Philoſophica Diſſertationes inſtituere poteſt; ut gloriæ

ſibi

ſibi ducant eruditi, non modo Ipſius familiaritate ſæpius uti, ſed & ex doctiſſimis ejus ſermonibus proficere. Taceo illam, qua inſtructa eſt in Linguis exoticis, Gallica, Germanica, Italica &c. ac in ſtudio Matheſeos, ſcientiam.

§. XXVIII.

Cilla *Gad*, Bergenſis apud Norvegos Femina, haud ita pridem Hafniæ vixit, an. nempe 1708. Academiæ Patribus & Civibus ob raram, quam ſibi acquiſiverat, eruditionem tum probe nota. Filia erat *Canuti Gad*, Auditoris Militiæ Bergenſis, qui filiam hanc ſuam unicam, cum videret ingenio valere, ipſe a teneris ſibi ſumſit Latinis, Græcis & Hebraicis litteris inſtituendam, quod feliciter adeo ceſſit, ut, ſi maſculi ſexus fuiſſet, anno ætatis ſuæ decimo quinta ad Academiam ſumma cum laude dimitte potuiſſet. Inter Muſas Hafnienſes verſata ſpartam Opponentis in aliquo Academiæ Collegio ſibi oblatam, modo ipſi licuiſſet, in ſe ſuſcipere voluit. Carmina Latina fudit promtiſſime, quod fatentur, qui ſcribenti teſtes oculati aſſederunt. Varia Poëſeos ſuæ ſpecimina typis publicis Hafniæ ſubmiſiſſe fertur, in quibus mihi ſolum innoteſcit, quod ſequitur, Carmen Latinum ad Juvenem Clar. *Thomam Jacobæum*, *Olig. Fil.* Medicinæ ac Phyſices Cultorem, in Collegio Mediceo d. 17. Oct. 1708. *de Oculis Inſectorum* erudite differentem:

Avitæ, hoc eſt, Nobiliſſimæ ſpei
pereximio Præſidi,
Domino THOMÆ JACOBÆO,
Phyſeos ac Medicinæ ſtudioſo vigilantiſſimo,
hisce qualibus qualibus
applaudit
CILLA GAD, Bergo-Norvega.

Invia Virtuti via nulla putatur, & adde:
Invia ſcrutanti Naturæ adytum fere nulla.
Naturæ penetrare cupis penetralia quæque,
Ingenii genium Magnorum nactus Avorum,
Quorum cum Patria nomen, laudesque manebunt;
Centoculatus habet Quibus & vix lumina plura.
Tu Soboles felix imitator macte Tuorum,
Muſa cui dedit ingenium, dedit ore rotundo
Cum Magnis certare Viris, Juvenis tamen Ipſe,
Artis jam Medicæ Cultor, Naturæ imitator.
Hinc ubi jam provecta ſenem te fecerit ætas,
Cedet & ipſe Tibi Medicinæ inventor Apollo.

Quod carmen annexum eſt laudatæ Diſſertationi, Hafn. 1708. in 4. impreſſæ.

§. XXIX.

Anna *Giöe*, Nobilis Virgo, nata d. 11. Dec. 1609. in prædio nobili Turebygaard in ſædlandia, paren-

parentibus Nobiliſſimis, *Henrico Giöe* & *Birgitta Brahe*. Biennis Patrem amiſit & Matrem decennis, inde apud Cognatos educata. Ἄγαμος ſemper vixit, demum viventium numero erepta in prædio Hvedholm anno 1680. ætatis ſuæ ann. LXXI. & ſeptiman. III. Inſignem Librorum Danicorum impreſſorum & manuſcriptorum apparatum poſſedit, quos non collegit ſolùm, ſed & legit aſſidue. Quam ſplendidiſſimam Bibliothecam Virgini Nobil. *Catharinæ Brahe*, de qua ſupra dixi, teſtamento reliquit. De vita & meritis hujus *Annæ Giöe* legatur *D. Jacobi J. Bircherodii*, SS. Theol. in Gymnaſio Othiniano Profeſſoris celeberrimi, *Liber Vitæ ex Apoc. III. 6. breviter explicatus*, quem ipſi Catalogo hujus Bibliothecæ Hafn. 1725. in 4. Danice edito præmiſit *M. Laur. Sthen. Lindius*.

§. XXX.

Medea *Giöe*, Nobilis Virgo, excellentis doctrinæ, filia fuit *Henrici Giöe* & *Birgittæ Brahe*, ſoror nuperrime memoratæ *Annæ Giöe*. Maximam ætatis partem Libris legendis tribuit, peregrinas Linguas haud leviter edocta, & in litterarum cultu celebris; mortua anno 1666. & laudata funebri Concione a *D. Erico Magni Grave*, Arhuſienſium quondam Præſule, luci publicæ poſtmodum expoſita. A Noſtratibus leguntur ſequentia Nobiliſſimæ hujus Virginis ſcripta: (1) *Tragicarum Odarum Pars I.* Hafn. 1657. in 8. (2) *D. Ludovici Bayle Praxis ſive Exercitium Pietatis*, ex Anglico ſermone in Danicum translat: quæ verſio prodiit Hafn. 1646. in 8. repetita editione 1666. & 1705. in 8vo.

Reliquit præterea *Sententias varias e Sacro Codice depromtas*, quas MStas ſervat Bibliotheca inſtructisſima *Catharinæ Brahe* juxta Catal. p. 155. Conf. Catal. *Reſenii* p. 352. n. 32. Lectori heic ſiſtimus, quæ in frontiſpicio *Praxeos Pietatis* habentur, Carmina Latina in Clariſſimæ Auctoris honorem compoſita, ſc. (1) *M. Erici Olai Tormii*, Paſtoris D. Virg. Hafn. primarii & Præpoſiti Nomarchiæ Sokkelundenſis:

In Aureas Meditationes, ſtudio atque opera Nobiliſſimæ Virginis,

Dn. MEDEÆ GOEYE,

publicatas.

Scire DEUM ſine ſcire tuo. ſapientia nulla,
Nec juvat immenſum te ſine ſcire DEUM.
Utraque jungatur, ſic poſcit cœlica virtus,
Quæ ſedis æternæ nos requiete beet.
Nobile virginei decus & flos, germen honoris,
Dexteritate pia tradit utrumque tibi.
Pallia promuntur loculis hic; Lector, eburnis,
Quæ tibi ſufficient gaudia mille modis. &c. &c.
Ergo & poſtea Carminibus, GOEYORUM Clara propago,
Cantatur nomen, Virgo MEDEA, tuum.

Dania,

Dania, quaque patet liquido circumſona ponto,
Sera tuas laudes poſteritasque canet.
Nominis inde decus gemino ſplendore coruſcet,
Terra dabit famam, Cœlica regna DEUS.

ERICUS OLAI.

(II) C. Leg.

Virgini,
Genere illuſtri, & pietate inſigni,
MECTILDI GIOE,
Cum PRAXIN PIETATIS, librum pluſquam quadragies vario idiomate editum, Danice daret.

Quam tua ſit pietas potior pietate parentum,
Hoc collata aviæ das, pia Virgo, tuæ.
Illa pios quondam Herloviam tranſcripſit in uſus:
Ipſum uſum veræ tu pietatis habes.
Illa dedit ſtudiorum apta inſtrumenta piorum,
Tu regis edocta. Virgo magiſtra, manu.

Diſſertis primum factis, nunc laudibus; illam
Una domus, ſed te Cimbria tota canit.

C. Leg.

Leguntur quoque in eodem Libro Carmina vernacula a *D. Olao Wormio*, Med. Profeſſore Hafn. celebertimo, *M. Petro Jvaride*, Templi Novi extra portam ſeptentr. Hafn. & Eccleſiæ Nedreoure Paſtore, nec non a laudato *C. Leg.* elaborata. In Editione an. 1646. adduntur Gratulatoria *Andreæ Thomæi* Latinum & *Jacobi Raven*, Berolinenſis, Garmanicum. *Medeam Giöe* attigit quoque *Junckerus* in *Centuria Feminarum eruditarum* n. 36.

§. XXXI.

Suſanna *Giöe*, e nobiliſſima *Giöorum* proſapia oriunda, Filia fuit *Falconis Giœ*; Conjux vero *Præbiörnonis Brahe* de Hvedholm, Hafniæ denata d. 7. Sept. an. 1683. Bonis litteris haud leviter imbuta fuit, Gallicæ in primis Linguæ probe gnara. In Bibliotheca ſæpius laudata Nobiliſſimæ *Catharinæ Brahe*, ſequentia ſuperſunt hujus Matronæ MSSta, erudite olim conſignata; (1) *Ludovici Vives Tractatus Gallicus de Educatione Virginum*, Danice expoſitus. 1659. in 4. (2) *Liber de Divitiarum & Gloriæ vanitate*, itidem in 4. Conf. Catalog. Bibliothecæ *Brahaana.* pag. 154. & p. 156.

§. XXXII.

§. XXXII.

Eliſabetha *Glodſtrup*, Bergis Norvegiæ patre *Zacharia Glodſtrup* anno 1695. nata, Carmina Danica, teſte laudato *Sperlingio* l. c. pag. 1196. promtiſſima vena fudit, manuque elegantiſſima ſcripſit, quæ ingenium ejus plusquam vulgare oſtenderunt. Puellam in ædibus Dni *Wildſchutze* de Lindholm, Regii Conſiliarii an. 1713. & 1714. degentem noverat ipſe *Sperlingius*.

§. XXXIII.

Anna *Grubbe*, Nobilis Dana, Filia *Petri Grubbe* & *Catharinæ Rud*, Danice elaboravit *Libellum Precationum* in 8. qui MS. ſupereſt in Bibliotheca *Catharinæ Brahe*. Mortua eſt Soræ anno 1658.

§. XXXIV.

Sophia *Grubbe*, Nobilis itidem Dana, ſcripſit *Confeſſionem Chriſtianam*, *cum voto, ut abhinc dimitteretur*. Hafn. 1597. Danice. Cujus meminit *Lyſchander* in MS. ſuo de Scriptis Danorum, & ex eo celeb. *Ottho Sperlingius* l. c. pag. 616.

§. XXXV.

Ingeburga *Gruthen*, alias *Grytten*, Nova hujus ſeculi in Diœceſi Bergenſi apud Norvegos Poëtria, Viri plur. Reverendi, Dni *Andreæ Gruthen*, Paſtoris olim Holmedallenſis, Filia, elegantiſſimam Eruditarum in Dania Mulierum familiam ſuo

jure auget, ob ingenii & venæ poëtice felicitatem, ſummumque devotionis ardorem. De qua audire lubet *Collectores Nov. Litt. Maris Balthici & Sept.* ad an. 1701. p. 107. *Poëtriam nuper novam*, Ingeburgam Grytten, Andreæ, *Paſtoris quondam Holmedallenſis filiam*, *Neomarchia dedit ſundfiordenſis*, *non in bicipiti Parnaſſo*, *aut amœno Muſarum contubernio*, *ſed ſeveriori Crucis Gymnaſio*, *ſola afflictione Magiſtra*, *jugi patientiæ Chriſtianæ exercitio formatam; Cujus etiam diſciplinæ ſanctioris radicem unice ſapiunt*, *quos typis Hafnienſibus publico propediem offeret*, Crucis Fructus, *id eſt*, Carmina vernacula, hymni ſc. Matutini, veſpertini, pœnitentiales, Metaphraſis *item* Parabolæ de Phariſæo & Publicano metrica prolixior, *ſuam ubique ingenii & venæ poëticæ felicitatem & devotionis ardorem haud obſcure proditura.* Conſ. omnino ſequentes paginas 108-110. ubi legitur *Amici cujusdam Bergenſis* de *Ingeburga Grytten*, aliisque doctis & præclaris Feminis *Scholion*, quod ita incipit: *Dicta modo* Ingeburga Grytten, *Syllabo Mulierum Daniæ & Norvegiæ eruditarum* Schachtiano *N. L. an.* 1700. *inſerto*, *meretur inſeri*, *novo poſthac numero numeroſam ſatis eruditi Gynæcei Bibliothecam auctura.* Scriptum ejus, quod memoravi, ſub titulo *Kaars-Frugt*, poſſideo, Hafn. 1713. in 8. impreſſum. Præmittuntur approbationes *D. Nicolai Randulfii*, Epiſcopi Bergenſis, die 6, Septemb. 1701. & *Joh. Steenbuchii*, Theologi Hafnienſis. Adjiciuntur ad calcem libelli carmina Danica gratulatoria *Joh. Petri Skougardi*, Symmiſte Holmedalenſis, & anonymi cujusdam, *P. M. S.* Ipſa Auctor nomen ſuum *Ingeburg Anders-Datter Gruthen* ſub litteris J. A. D. G. ita texit: *dend Kaarsbyrdede*, *de*

hier-

hiertelig tröſter ſig ved Jeſu Angiſt, Dööd, Graf og ærefulde opſtandelſe. An vero *Metaphraſis Metrica Parabolæ de Phariſæo & Publicano*, quam ab eadem *Gruthenia* compoſitam eſſe fatentur *Collectores Nov. Litt.* l. c. publicam quoque lucem hactenus adſpexerit, nondum dicere habeo.

§. XXXVI.

Anna *Gyldenſtierne*, Matrona Nobilis, Filia *Præbiörnonis Gyldenſtierne* & *Medeæ Hardenberg*, Conjux vero illuſtr. *Georgii Brahe*, Equitis Aurati, pia quoque & erudita fuit. Hujus *Liber precationum*, Danice in 12mo conſcriptus, ſupereſt inter MSSta Bibliothecæ *Catharinæ Brahe*, teſte Catalogo p. 156.

§. XXXVII.

Sibylla *Gyldenſtierne* Parentis habuit *Magnum Gyldenſtierne* de Stierneholm & *Annam Sparre*, Maritum vero *Eſchillum Giöe*. Matrona hæc Nobiliſſima, ob liberalium artium ac ſinceræ pietatis cultum, apud nos clariſſima, poſteris reliquit *Librum Piarum Precationum Danice conſcriptum* & in Bibliotheca *Brahæana* MS. reconditum. Huic *Sibyllæ Gyldenſtierne*, anno 1586. Viduæ, *Nicolaus Mörch* Scriptum Conſolatorium obtulit ac dicavit, MS. ibidem aſſervatum. Conf. Catalog. p. 157.

§. XXXVIII.

Anna *Hardenberg*, Filia *Erici Hardenberg* & *Annæ Rönnoviæ*, Librum pia eruditione Danice con-

 ſcri-

ſcripſit, eumque Matri, *Annæ Rönnoviæ* dicavit; qui in Bibliotheca *Catharinæ Brahe* inter MSSta aſſervatus, per errorem tribuitur *Annæ Rönnoviæ* in Catalogo hujus Bibliothecæ p. 156.

§. XXXIX.

Mechtildis (*Mette*) *Hardenberg*, Soror *Annæ Hardenberg*, Uxor Nobiliſſimi *Præbiörnonis Gyldenſtiernæ*, Danico idiomate *Libellum Precationum* compoſuit, quem MS. in 8. poſſidet Bibliotheca *Braheana*.

§. XL.

Cœcilia *Höeg*, Nobilis Matrona, Conjux erat Viri Nobiliſſ. *Ebbonis Munch* de Fiellebro, ſepulta una cum Marito ſuo in Templo D. Canuti Othiniano. Hujus ſinceram pietatem & devotionem loquitur *Liber precum Vernaculus*. Hafn. 1620. & 1661. in 12. & forte ſæpius impreſſus. Cujus Scripti meminit *Alb. Bartholinus* de Scriptis Danorum p. 16. & ex eo *Junckerus* Centur. feminar. erudit. n. 43.

§. XLI.

Eliſabetha Sophia von *Holſtein*, Virgo Illuſtriſſima, Sereniſſimæ & Celſiſſimæ Principis Regiæ CHARLOTTÆ AMALIÆ Auguſtiſſimi Regis Friderici IV. Filiæ, Aulæ Magiſtra inter eruditas Daniæ Mulieres celebris eſt, quam memorant *Nova Litteraria Hafnienſ*. an. 1727. pag. 390.

§. XLII.

§. XLII.

Chriſtina *How*, privigna *D. Johannis Leth*, quondam S. R. M. a Confeſſionibus & Concionibus Sacris, matrimonio juncta *M. Jano How*, Eccleſiaſtæ Liungenſi in Sædlandia prope Friderichsburg; ſuo nomine anno 1689 ex villa Liungenſi edidit *Miſeriarum Meditationes in deplorandum diem*, 19. *April. an.* 1689. *ex Threnis Jeremiæ*, patrio ſermone ſcriptas. Quod ſcriptum *D. Johannes Wandalinus*, Theologus Hafnienſis, in primi conceſſit & cenſuit. Carmine Ipſi gratulatus eſt Maritus. Dies autem ille Hafnienſibus valde lugubris fuit, ad Arcem Amaliæburgum exſtructa ſcena pro Comœdiis in Natali Regis Auguſtiſſimi CHRISTIANI Vti die 15. April. agendis, quo die feliciter ſatis illa *Opera* ut vocantur, habita ac finita ſunt. At, cum ad illa prædicto die redirent, jamque turba hominum numeroſiſſima conſediſſet, ſubito flammæ tecta corripuerunt ex aridis lignis ſtructa, ita ut ſuffocati & ambuſti ſint fere trecenti homines, quibus exitus non patuit, & ipſa Arx conflagraverit. Hunc diem luctuoſum *Chriſtina How* pia hac memoria & ſcripto ſuo deſcripſit.

§. XLIII.

Chriſtina *Jani filia* (*Kirſten Jensdatter*) b. Mag. *Eraſmi Bruunii*, Paſtoris Klintenſis in Fionia, relicta Vidua, Matrona pia, quam devote ſacram Poëſin tractaverit, teſtis eſt Liber vernaculus, nuperrime typis publicis commiſſus, cujus hic titulus eſt: *Enkens Skarv i Tempelen*, i. e. *Viduæ Te-*

E 5 *runcius*

runcius in Templo. Hafn. 1724. in 12. e typographia Höpffneriana editus. Liber inſcriptus eſt Ipſi totius Mundi Servatori, Jeſu Chriſto, & conſtat meris ſuſpiriis & Cantionibus Sacris. Ex ipſa vero ad Lectorem Præfatione ſequentia excerpſiſſe non pigebit:-

För har Jeg brugt min pen og haand
Som Quinde kiönnet ſkriver,
Optegned, hvad i huus og Stand
Mand jevnligen udgiver.
Nu Döden Mig har gioort ſaa tom,
Jeg maa en Mara være;
Saa vender Jeg min pen her om,
Og vil med Enken bære.
En Skærv hen i Guds Tempel ind,
Beſtaar i Suk og Sange,
Gaar ud fra Hierte, Siæl og Sind,
Og ſkal til Himlen gange.
Thi Jeg for Verden det beſtaar,
Gud ej anſeer Perſoner,
Men hvo i Troen til Ham gaar,
Dem Hand med Naade kroner.
Saa vel en Quinde, ſom en Mand,
Hand ſine Gaver giver,
Selv deeler Hand med dem forſtand,
Som til Hans ære ſkriver.
hi, om jeg ſkiöndt, ſom Quinder bör,
Haand i huus-gierning tager,

Med

Med Uldet, Linned, Hamp og Hör,
Og traad i Sy-naal drager,
Dog Himlen Jeg ej glemme vil,
Ej ſlaa af hu og tanke,
Men over aldt mig ſkynde til,
Dend Himmel-ſæd at ſanke. &c.

Ad calcem libelli varia leguntur Carmina, in honorem *Chriſtinæ Jani filiæ*, compoſita a *Nicolao Hvalſöe*, Eccleſiarum Gielſted & Rörup Paſtore, *Olao Bangio*, Skyderbergenſi & Ortenſi Eccleſiaſte, *Petro Chriſtiani Humble*, aliis.

§. XLIV.

Maria Jani *Jerſina* Filia erat *M. Jani Dionyſii Jerſini*, olim celeberrimi Diœceſeos Ripenſis in Cimbria Epiſcopi, quæ nupſit *M. Nicolao Svenonio Chronio*, initio Scholæ Regiæ Coldingenſis Rectori, inde SS. Theologiæ in Gymnaſio Chriſtianienſi apud Norvegos Lectori ſeu Profeſſori, ſed demum, propter diſſentientes a Fide & Doctrina noſtrarum Eccleſiarum opiniones, in exilium ejecto. Illa, Mariti exularitis aſſidua comes, multis vitæ incommodis conſtanti patientia toleratis, demum Amſtelodami in Belgio obiit. Hujus *Jerſinæ* exſtat *Siælens Skat*, i. e. *Animæ Theſaurus e Lingua Inferior. Belgic. in Danicam translatus*, dum in Belgio vixit, & Hafniæ 1653. in 12. editus. Nomen ejus in frontiſpicio Libelli exprimunt litteræ *M. J. D. J.* quæ nomen auctoris referunt. *Maren Jens-Datter Jerſin.* Hymnum Germanorum, Steh doch / Seele

qui deinceps ad Virum Nobiliſſimum *Ericum Chriſtiani Krabbe* tranſierunt. Vir plur. Reverendus *Dn. Petrus Lucoppidanus*, Landenſis in Inſula Thaaſingia Eccleſiaſtes, in epiſtola ſua ad *Sperlingium* d. 7. Nov. 1702. data teſtatur hanc *Annam Krabbe* natam eſſe anno 1509. & denatam anno 1543.

§. XLVIII.

Anna *Krabbe*, altera, erudita quoque Femina erat. Hæc eſt, quam *Reſenius* in Catalogi ſui Indice & ex eo *Schachtius*, aliique, anno 1590. obiiſſe memorant. Sed nihil Illa, quantum ſcimus, poſteris reliquit, præter ſolam eruditionis haud vulgaris famam. Scripta enim, quæ illi vulgo tribuuntur, genuinam auctorem agnoſcunt tertiam *Annam Krabbe*, de qua mox dicetur.

XLIX.

Anna *Krabbe*, tertia, Matrona Nobilis, Filia erat *Erici Krabbe* & Conjux *Jacobi Biörn*, Domini de Steenhalt. Fuit Illa in ſcriptis Danicis & Germanicis evolvendis ſedula, & in arte pictoria mirum quantum excellens, cui Poëſin Danicam felici copula junxit. Hujus induſtriæ ac ſtudio debemus (1) *M. Chriſtophori Fiſcheri Manuale ſive Quæſtiones in Evangelia dierum Dominicalium omnium ac Feſtorum e Germanico Danice translatas*, & Lubecæ 1616 in 8. editas. (2) *Librum Precationum*, impreſſum 1611. in 12. quem illi tribuit *Sperlingius* pag. 485. Varia alias Ejus relicta ſunt MSSta (1) *Regum Daniæ Icones ſive Imagines, una cum Chronico Rythmico a Rege DAN*

ad Re-

ad Regem CHRISTIANUM *V. incluſive; juxta Effigies Regum, in arce Coronæburgenſi viſas & alias juxta Librum pictum Annæ Schrammiæ*, Liber profecto rariſſimus, in Bibliotheca Reſenii olim ſuperſtes. Conf. Catalog. *Reſenii* p. 256. num. 1. (Quem librum a Nobiliſſima hac Matrona inceptum quidem, ſed ab alio quopiam ad Regis CHRISTIANI Vti tempora continuatum eſſe, ſuadet Chronologiæ ratio) (2) *Fabulæ Genealogicæ quarundam præcipuarum & antiquiſſimarum Familiarum Nobilitatis Danicæ*, quarum meminit Catalogus *Roſtgardianus* p. 540. n. 949. Celeberrimus noſter *Olaus Wormius* Monumentor: Danic. Lib. V. p. 289. eam vocat *Antiquitatum Danicarum ſtudioſiſſimam Feminam*, ibidemque teſtatur, ſe valetudinis cauſſa Nobiliſſ. hanc Matronam in arce Steenhaltina inviſiſſe. Noo igitur obiit hæc *Anna Krabbe* an. 1590. Hon enim anno ſi obiiſſet, *Wormius* Medicinam ei haud facere potuiſſet, vixtum bimulus. Obiit autem Illa an. 1618. d. 17. Febr. & Maritus ejus *Jacobus Biörn* an. 1596. d. 5. April. quod ex Epitaphio illorum in Templo Oerſtediano conſtat.

§. L.

Eliſabetha *Krabbe* de Urop, Matrona Nobilis, Filia *Tychonis Krabbe*, de Buſtrup, Equitis Aurati, Regni Dan. Senatoris & Mareſchalli, Marita vero *Petri Schrammii*, Regni Senatoris & Archithalaſſi, a noſtratibus ob ſummam eruditionem ſummopere extollitur. A. *Claudio Lyſchandro*, Eccleſiaſte Herföglenſi, & CHRISTIANI IV. Regis Hiſtoriographo, in Libro *de Scriptoribus Danicis* MS. qui olim in

Bibl.

Bibliotheca Acad. Hafn. ſuperfuit, tali ornatur encomio: *Eliſabetha Krabbe - - - a teneris in Nobilium Virginum Collegiis omnibus pietatis & ſedulitatis ſtudiis exculta, indole excellens, ingenio miranda, judicio diſcreta, lingua & manu elegans, veterum lectione & memoria nulli ſua ætate ſecunda, cum viris etiam doctiſſimis de maximis Religionis & Reipublicæ negotiis argute & eleganter ſæpe differebat, ac ea Hiſtoriarum & Antiquitatum cognitione pollebat, ut patriæ res geſtas & Nobilium familiarum propagines ordine & memoriter omnium cum admiratione poſteris narraret, vita denique & moribus manſueta & devota.* Patriam Linguam mira ſedulitate excoluit, quod teſtantur Ipſius *Proverbia Danica*, quæ erudite congeſſerat, illuſtr. *Johanni Schougaard*, gl. m. FRIDERICI IIdi Secretario ſupremo, inſcripta, ac inter rariora MSSta in Bibliotheca *Reſeniana* quondam aſſervata, juxta Catalogum p. 175. n. 29. Ob præclarum hoc Opus merito laudatur Auctor celeberrima a *Petro Septimio*, Paſtore olim Eccleſiæ Helleſted in Sædlandia, Regio Philologo & Danicæ Linguæ Summo Statore & Vindice in Præfatione *Proverbiis* ſuis *Danicis* Hafn. 1688. in 8. editis præmiſſa; & inter ipſos Philologiæ Danicæ cultores numerata eſt jam pridem a Me in *Idea Hiſtoriæ Litter. Danorum* Part. II. Cap. V. p. 309, 310. Neque ſolum intra has patriæ Linguæ amœnitates verſata eſt, ſed & otium ſuum Poëmata Vernacula identidem ſcribendo pie conſumſit, variis relictis Cantilenis Sacris, quas inter mihi tantummodo innoteſuit, *En Chriſtelig Takſigelſe af dend CXV. Pſalme for Guds gode befrielſe fra legemlige Fiender og U-venner, digted af Fru Eliſebe Krabbe til Urop, MDLXIV. die Converſionis Pauli.* qui hymnus ita incipit:

Ikke

Jkke Os, ikke Os, Min Gud og Herre,
Men dit Naun ſkee Lov, priis og Ære,
Din Naade og Miskund hialp os her
Fra vore Fienders grumme begiær, &c.

Et habetur in *Libro Hymnorum Danico* an. 1681. in 8. a *Chriſtiano Caſſuben*, Bibliopola Haſnienſi, edito p. 120. 121. *Claudius Lyſchander* in MSto *de Scriptoribus Danicis* mox ſupra memorato, hæc etiam ſcripta ab Illa concinnata producit (1) *Orationes ad Deum varias.* (2) *Vitam & Epitaphium* Johannis Schougardi *de Gundſtrup.* (3) *Genealogias familiarum aliquot Danicæ Nobilitatis.* (4) *Res* Petri Schrammii, *Mariti ſui, terra marique geſtas.* Laudata eſt Nobilis hæc *Krabbia* pro Roſtris ſacris a Dno *Eraſmo Johannis Reravio*, olim Eccleſiæ Rödbyenſis in Löllandia Paſtore primario, cujus in Illam *Concio funebris Danica* prodiit Haſn. 1581.

§. LI.

Anna Catharina *Krag*, Nobilis Matrona, illuſtr. *Rudolphi Abrahami*, Liberi Baronis *de Putbuſch*, & Toparchæ de Kiörupgaard, ſvaviſſima Conjux, piis ac ſacris meditationibus intenta, emiſit in publicum *Libellum Precationum*, Arhuſii 1643. in 12. impreſſum, quem Parentibus ſuis, *Nicolao Krag* de Trudsholm & *Juta Höeg* die 16. Januar. 1642. dedicaverat. Obiit in prædio ſuo Kiörupgaard die 19. Nov. an. 1687. Conf. *Alb. Bartholin.* de ſcriptis Dan. p. 9. *Molleri Hypomn.* p. 164. &

Wi-

Witten. D. B. Tom. II. p. 144. Laudat eam quoque *M. Junckerus* in ſua *Centuria* n. 47.

§. LII.

Anna *Kruſe*, Virgo Nobilis, in lectione Germanicorum & Danicorum librorum ſe mirifice delectavit, a Romanæ quoque Linguæ cognitione non mediocriter inſtructa. Reliquit (1) *Cantiones Danicas*, (2) *Carmina Danica varii argumenti*, quæ olim in inſtructiſſima *Jani Roſenkrantzii* Bibliotheca in prædio Quitzöholm deliteſcebant MS. at, in cujus bibliothecam poſtea tranſierint, haud dixero. Superſunt quoque hodie in Nobiliſſ. *Catharinæ Brahe* Bibliotheca *Cantilenæ quædam ſpirituales*, hujus *Annæ Kruſe* ſvaſu conſcriptæ, teſte *Catalogo* p. 155. Conf. *Idea* mea *Hiſtor. Litter. Danorum* p. 352.

§. LIII.

Anna Margareta *Lange*, Virgo Danica, ob eruditionem ſuam ita laudatur celeberrimo *Johanni Paſchio* in *Gynæceo Docto* an. 1686. poſteaq; 1701. Witteбergæ excuſo p. m. 43. Anna Margareta Lange, *Sereniſſimæ Reginæ Danicæ ab honoribus Cameralibus, Virgo eleganti linguarum cultu exculta & eruditione haud vulgari prædita.* Cui *J. S. D. D. anno Chr.* 1679. L'Ecole pour Rire &c. *inſcripſit.*

§. LIV.

Eliſabetha (alias *Elſebe*) *Lange* eruditionis ſuæ

ſuæ famam poſteris reliquit in MSS. nonnullis a ſe compoſitis, quæ in Bibliotheca *Brahæana* Othiniæ reconduntur.

§. LV.

Margareta *Lange*, Matrona Nobilis, Uxor *Canuti Brahe* de Engelsholm, ſummam Gallicæ Linguæ cognitionem aſſecuta, varios Libros ex iſta Lingua in patrium ſermonem feliciter transtulit, quorum hi in manibus noſtratium verſantur, (1) *Mag. P. U.* Auctoris Galli, *Symboli Apoſtolici Expoſitio Danice reddita.* Hafn. 1608. in 8. D. (2) *Tractatus conſpicuus de Vita Chriſtiana e Gallico Danice verſus.* ibm. 1608. in 8. Danice.

§. LVI.

Anna Margareta *Laſſon*, Virgo Othiniæ in Fionia adhuc ſuperſtes, Patrem habuit perilluſtrem Dn. *Laſſonium*, Juſtitiæ Conſiliarium. Eſt & huic Nobiliſſimæ Virgini ſuus in Gynæceo meo locus, ob ſingulare Poëſeos vernaculæ ſtudium, quod ipſam Poëtriis noſtratibus dudum inſeruit. Notum eſt popularibus elegantiſſimum ejus ad ſereniſſimum Daniæ Regem *Carmen Gratulatorium*, Danica Lingua junioribus annis editum. Plurima alias circumferuntur ejusdem *Laſſoniæ* ſpecimina Poëtica diverſi generis, non minori ingenio, quam artificio compoſita; quod Menſe Aug. hujus anni 1729. me edocuit Nobiliſſima Virgo Othiniana, *Eliſabetha Falſen*, ſupra laudata §. XXII.

§. LVII.

Margareta *Laſſon*, Filia Nobiliſſimi *Jani Laſſon*, quondam Conſiliarii Juſtitiæ (qui an. 1706. ætatis 84. Hafniæ deceſſit) ſcriptum elegans Lingua Danica compoſuit, cui titulum fecit: *Dend fordum i Rune Bögſtavs Kaabe, nu i Danske Tungemaals Klæde ifoörte liden Roman, kalded* Dend Beklædde Sandhed, *fremviiſt alde Liebhabere til fornöjelſe, af En det Danſke Sprogs inderlige Elſkerinde*, Aminda. Ita nomen ſuum transmutavit Auctor doctiſſima, & ſub *Aminda* nomine deliteſcere voluit. Librum hunc MStum viderat. Clar. *Ottho Sperlingius*, cujus Dedicatio, ipſi Regi Danorum Auguſtiſſimo inſcripta, *Aminda* nomen expreſſit, Præfatio vero ad Lectorem ſub nomine *Ateragram Noſſal* legitur, quod fictum nomen ſi retro legas, vere exprimit τὸ *Margareta Laſſon*, quod nomen proprium eſt Auctoris. *In iſta ad Regem Dedicatione finxit, ſe reperiſſe hoc Scriptum in parietinis Monaſterii Dalumenſis apud Fionenſes, in Membranis litteris Runicis & Monaſticis exaratum. Sed, inquam, finxit, ut Romanis fabulis & Hiſtoriis fictis hæc eſſent ſimiliora. Dum enim Scriptum fuiſſe hunc Librum Runicis & Monaſticis litteris voluit, id plane non convenit, quoniam Runicæ litteræ non ſunt Monaſticæ, nec Monaſticæ litteræ Runicæ.* Hactenus ex MSto *Sperlingiano* p. 1162. Mortuo vero *Sperlingio*, hic Liber typis publicis exſtare primum cœpit, Hafniæ 1722. in 8. impreſſus; nulla tamen Dedicatione, ſed ſola Præfatione, nomine *Aminda* ſcripta inſtructus. In hoc ſcripto acerrimam patriæ Linguæ vindicem ſe oſtendit, Poëſeos quoque Dani-

cæ

cæ varia hinc inde ſpecimina adducit, artificioſa ſimul & ingenioſa; ex quibus hic tantum producitur, quod p. m. 229. in quendam Principem *Leonque* legitur, Epitaphium:

Klag, huule Mulads Egn, at dend Hul-öjed Dræber,
Som med ſit leede Skrog dig ald din Lyſt bortſlæber,
Hans ſtumpe hvæſſed Lee een fælded; der er Sag,
Ach! ach! Leonque *dööd af ald din magt beklag.*
Ynk hans forlatte Ven i'Sorrigs dybe Hytte,
Giem med ærbödighed dit Himmel-værdig Bytte,
Hans vel fortiente Roos ej need i Graven ſynk,
At Hand ej lever end, beed, alde ſee med ynk.
Jeg kand for öjne-vand af dig ej meere bede,
Hans lige findes ej, hvor vidt Du *end vil lede,*
J Dyyd ham ingen naaer; det övrige tilleg,
At, kunde for Ham döes, da levde ikke Jeg.

Eadem *Margareta Laſſon* Carmen Gratulatorium Danicum ſcripſit in Poëmata ſacra *Dorotheæ Engelbrechtiæ*, Poëtriæ Norvegorum Clariſſimæ, quod ſub *Amindæ* etiam nomine legitur.

§. LVIII.

Anna *Lycke*, Filia Nobiliſſ. *Jacobi Lycke*, Marita autem Nob. *Petri Gersdorph*, qui vixit circa an. 1649. (Conf. *Nova Litter. Hafn.* 1726. num. 22. p. 338.) haud indocta fuit, juxta *Sperlingium* in ſuo MSto p. 310.

§. LIX.

Auguſta Margareta *Marſchalck*, Nobilis familiæ in Daniæ notæ, à *Sperlingio* quoque memoratur pag 328. Hujus eruditio laudatur in Concione funebri, ejus memoriæ conſecrata.

§. LX.

Elina *Marſviin*, Nobilis fuit Matrona, Domina de Ellensborg, illuſtri & ſplendida Nobilium ſede in Fionia, olim quoque Ulfeldsholm, jam vero Holckenhaun dicta; Uxor generoſ. *Ludovici Munchii.* Hæc nomen quoque inter doctas Danorum feminas nacta eſt. Stilo majori & eleganti ſuis ſumtibus excudi curavit, in uſum hominum ætate provectorum, *Pſalterium Regis Davidis*. Hafn. 1632. in Fol. Danice, Librum ſane rariſſimum, cujus non niſi 30. exempla typis ſunt commiſſa, ſi fides habenda *Reſenio* in ſuo Catalogo p. 371. n. 22.

Cui

Cui Libro Præfationem adjecit *M. Nicolaus Michaëlis Alburgius*, tum Eccleſiæ Holmenſis apud Hafnienſes primarius Paſtor.

§. LXI.

Johanna *Martini fil.* Ruſtici, in paræcia Cimbrorum Gadbergenſi, Filia, eo ingenio litteras tractavit, ut, memorante *Sperlingio.* pag. 672. & Latina *αὐλὸς ἴδ᾽ αὐλὸς* elegantiſſime loqueretur, & ad Græcas quoque litteras animum appulerit. Quin & in arte pingendi memorabilis evaſit, ita ut Monarcham noſtrum CHRISTIANUM V. & Reginam CHARLOTTAM AMALIAM ſua manu depictos ſubmiſſa manu obtulerit, & ſerenos vultus ac liberaliſſimas manus experta ſit. *Quod exemplum* (verbis utor Clariſſimi *Sperlingii* l. c. *præterire non debui, ut ſingulare, & hoc anno 1692. omnibus notum, ne me fingere putet quis, aut fidei meæ detrahat; multos enim teſtes habeo, qui & puellam noverunt, & eam nitide loquentem audiverunt. Hactenus tamen ſcriptis nullis celebrem ſe reddidit, quod tamen etiam ſe facturam, ut adhortati ſumus, in ſe recepit.*

§. LXII.

Chriſtina *Munch*, Matrona Dana, poſt deceſſum ſereniſſimæ Reginæ, ANNÆ CATHARINÆ, Regi Danorum glorioſiſſimo, CHRISTIANO IVto matrimonio ad ſiniſtram juncta fuit. Hujus fata initio proſpera, ſed deinde triſtia, nemini non innotuerunt, & propterea heic conſulto prætereuntur. Diem ſuum obiit in prædio Boller in

Cimbria, an. 1658. poſtea vero Othiniæ ſepulta. Supereſt autem hujus *Chriſtinæ Munchiæ Liber Precationum*, *Naadens Dörs Aandelige Hammer*, *Januæ Gratiæ malleus ſpiritualis* dictus, qui prodiit Hafniæ 1648. in 12mo.

§. LXIII.

Dorothea *Nicolai fil.* Cimbra, quæ olim Scanderburgi in Cimbria habitavit, inter pias & doctas Danorum Feminas merito nobis memoratur. Hujus enim eſt *Enkers Tidsfordriv*, h. e. *Viduarum Tempus fallendi ratio.* Liber Danicus, Arhuſii impreſſus. 1648. in 8. & prelo rurſus ſubjectus Hafn. 1700. in 12. Nomen ſuum in hoc ſcripto texit ipſa Auctor, nec aliter ſe expreſſit, quam litteris his initialibus: *D. N. D. S. P. S. E.* quando ait: *Dröveſſens Nööd Driver Sialen Paa Saligheds Enge*, quæ ita explicari: *Dorothea Niels-Datter*, *Sal. Poul Sörenſöns Enke.* Nomen vero Ipſius expreſſit *Joh. Joh. Scanus*, ſive *Skonning*, Ædituus, Civis & Typographus Arhuſienſis, qui poſt Præfationem, a *M. Jaſparo Johannis*, Eccleſiaſte Scanderburgenſi Primario, ſcriptam, Carmen Danicum illius honori dicavit.

§. LXIV.

Helena *Opdall* (Danice *Ellen Opdall*) Vidua plur. reverendi *Dni Johannis Bernhoffii*, a *Collectoribus Nov. Litter. Mar. Balth. & Sept.* an. 1703. p. 115. merito laudatur ob *Danicam*, quam elaboraverat, *M. Joh. Binchii de Centum Jeſu Chriſti nominibus Opuſcu-*

puſculi Practici Verſionem; quæ prodiit Hafn. 1703. in 8. Librum, qui paginis 610. abſolvitur, Cenſura Academica d. 12. Aug. 1699. approbavit Vir ſumme Venerabilis, *D Henricus Bornemannus*, Sædlandiæ Epiſcopus; ipſi Reginæ Danorum ſereniſſimæ, LOVISÆ die 15. April 1700. inſcripſit piiſſima Auctor, Carminibus vero gratulatoriis Danicis ornarunt *Mag. Johannes Dorſchæus*, Paſtor ac Præpoſitus ad D. Virg. Hafn. *Andreas Bernhofftius*, & filius *Georgius Chriſtianus Bernhofftius*. Mater fuit novem Filiorum, quos omnes Sacerdotii munere fungentes ante mortem vidit. Deceſſit Hafniæ Menſe Febr. anni 1704.

§. LXV.

Eliſabetha *Petræa*, anno 1643. nata eſt apud Cimbros in prædio Paſtorali Aal intra Diœceſin Ripenſem ſito, patre plur. reverendo, Dno *Petro Clauſenio*, Eccleſiæ ib. Paſtore; nupſit poſtea *Nicolao Heebo* in prædio Heebo prope Jandrup habitanti, an. 1703. ætatis ſuæ LX. placide defuncta, juxta notitiam mihi per litteras d. 6. Mart. 1628. datam a Viro Clariſſimo, mihique amiciſſimo, *Jano Paludan*, Scholæ Ringſtadienſis in ſædlandia Rectore hujusque *Petrææ* ex Filia Nepote. Hæc Matrona conſpicua, amiſſo Marito, Vitam ſolitariam degens, tempus ſuum in Poëſi Danica exercenda, Libriſque vernaculis conſignandis haud infeliciter collocavit, piique laboris ſpecimina in manus eruditorum dedit, quæ ſequuntur: (A) *Enkens Suk-og Sang-Offer. Viduarum Suſpirium & Thuribulum.* Hafn. 1687. in 8. Quod opuſculum (1) *ſuſpiria metrice elaborata.* (2)

conſolationes in rebus adverſis (3) *Pſalmos ac Hymnos* complectitur. (B) *Aandelig Brude-Harmoni*, i, e, *Harmonia Nuptialis ſpiritualis, quæ ſuave & jucundum inter Sponſum Chriſtum & Sponſam Eccleſiam Colloquium e Cantico Regis Salomonis excerptum continet.* Hafn. 1689. in 8. In prion Libro auctor clariſſima ita laudatur a *Petro Severini Winther*:

Thuribulo Rythmorum
Matronæ,
Splendore, Amore, Nitore
Virtutis, Pietatis, Poëſeos
condecoratiſſimæ
ELISABETHÆ PETRÆÆ
Ita aſſurgit

Petrus Severini Winther.

Eliſabeth Petri Filia, Uxor quondam ſuaviſſima beati Nicolai Heeböenſis, ἀναγραμματιζόμενος Helias Deo, ſuavis os habet, ex illo canit: Abba! Quam pium! finis in eis erit.

Elaboratio.

Dum furibundus Achab Divum contemnit, Heliam,
Effugit hunc Vates Suavis *ubique* Deo.

Os

Os habet, ex illo canit: Abba, *nec improba curat*
Murmura, nempe Baal buſta parare ſtudet.
Hunc ipſum ſequitur Matrona pediſſequa Vatem,
Dum pertæſa Erebum fundit ad aſtra ſonos.
Quam lætum ſit, Quam*que* pium, *Crucis omnis* in illis.
Finis erit *laribus*, *triſtitiæque ſcopus.*

Et a Filio, *Petro Nicolai Heebo.*

Eliſabetha Petri Heebæ ἀναγραμματικῶς
Heliæ rota hebete bipes.

En legit ELISABETH veſtigia Vatis HELIÆ,
Qui curru ignito vectus ad aſtra poli.
Matrona heic Mater pia jam mundana relinquens
Cæli tecta ſubit, rite volante ROTA,
Succendit quam corde ſuo ſpirabile Numen
Hac HEBETI terris æthera celſa ſecat.
Terrenis tardata minus ſic præpete curſu
Igne precum, cantu, tendit ad aſtra BIPES.

Præterea haud parce celebrata eſt in eodem Libro Carminibus Germanicis a *D. Joh. Laſſenio*, SS. Theol.

Theol. Profeſſore Hafn. & Eccleſiæ D. Petri Paſtore primario, & *D. Caſparo Kölichen*, Regio Archiatro & Poliatro Hafnienſi; Danicis vero a *M. Joh. Adolpho Bornemanno*, Eccleſ. D. Virg. Hafn. Paſtore primario & Præpoſito Sochelundenſi, Dno *Eraſmo Laſſen*, Eccleſiarum Lunde & Outrup in Diœceſi Ripenſi Paſtore, Dno *Nic. Georgii Skipper*, Eccleſ. Ringſtadienſis in Sædlandia Comminiſtro, *Dno Joh. Nicolai Paludano*, Eccleſiæ Aal in Diœceſi Ripenſi Paſtore, *Gudmanno Poſſcholano*, tum Cive Academico, poſtea vero Eccleſiæ Calundburgicæ in Sædlandia primario Paſtore, *Laurentio Wæboe*, *Anna Nicolai Heebo*, *Maria Nicolai Heebo*, *Petro Severini Winther* & *Petro Nicolai Heebo*. In poſteriori Libro laudatur his Cenſuris a *D. Chriſtiano Lodberg*, Diœceſeos Ripenſis Præſule, & *D. Joh. Wandalino*, SS. Theol. Profeſſore Hafn.

Has jucundiſſimæ pietatis plenas delicias non ſine ſingulari voluptate animi relegi, porroque cenſendas Ampliſſimis Academiæ Patribus pro More & Mandato Regio transmiſi. Ripis die 4. *Julii An.* 1689.

Chriſt. Lodberg,
Sup. Rip.

Quamvis profunda excellentiſſimi Cantici nemini hactenus contigerit plane emetiri, & vel hic maxime locum habeat illud

lud Apoſtoli: Ex parte Prophetamus; *tamen, cum* habentes diverſa dona pro gratia, quæ nobis data eſt, prophetamus juxta analogiam fidei, *quid obſtat, quo minus liceat in tantis myſteriis evolvendis prodire tenus? Quod cum pia ſobrietate, imo entheo ardore conata eſt Matrona, ſupra ſexum ſuum, in ſcripturis verſata, adeoque ad Regnum cœlorum erudita, in Sacris hisce Epithalamiis, non potui non venerandi Præſulis cenſuræ meam conformare: illud ut piis animabus ſancto amore inflammandis per typos innoteſcat.*

Hafniæ, d. 4. *Oct.* 1689. Joh. Wandalinus, D.
SS. Theol. Prof. P.

Ad calcem Libri plurima Carmina gratulatoria leguntur, ſcil. ſequens Latinum *Chriſtopheri Dieterici Friedenreich*, tum Civis Acad. demum vero Eccleſiæ Botulphianæ apud Alburgenſes primarii Paſtoris.

Ornatiſſimæ, Candidæ & Honeſtiſſimæ MATRONÆ,

ELISABETHÆ PETRÆÆ,

Danicæ in Cimbria Poëſeos lumini fulgentiſſimo, ita pro modulo ingenii cano.

Orba

Orba Viro profert (mirarene Cimbria?) fœtum,
Muſæ obſtetricant, cum ſit Apollo Pater.
Parturias! ſimiles naſcantur ſæpe Minervæ
Partus, felices quos Deus eſſe jube!

C. D. Friedenreich.

Et præterea Carmina vernaculo idiomate ſcripta a *Jano Jac. Bircherodio*, tum in Acad. Hafn. Facultatis Theol. Adjuncto, demum vero Epiſcopo Alburgenſi, *M. Elia Naur*, in Gymnaſio Oth. Profeſſore, *M. Jano Braſen*, tum Scholæ Ripenſis Con-Rectore, poſt Eccleſiæ Nordbyenſis in Inſula Fanoa Paſtore, *Dno Nicolao Arensberg*, Eccleſiæ D. Jacobi Vardenſis Paſtore, *Dno Petro Töxen*, Eccleſiæ D. Nicolai Vardenſis Paſtore, *Johanne Nicolai*, Dno *Thurenio Thorchillide*, Eccleſiarum Hemmet & Wium Paſtore, Dno *Nicolao Arensberg*, Eccleſiarum Grimſtrup & Orre Paſtore, *Envaldo Hegelund*, tum Theol. Studioſo, inde Scholæ Regiæ Coldingenſis Moderatore, *Petro Nicolai Heebo*, hujus *Eliſabethæ* Filio, *Joh. Chriſtierni Odenſe*, &, qui primo loco nominandus foret, *Severino Lintrupio*, tum Cive Academico, hodie S. R. M. a Confeſſionibus & Conc. Sacris. Conf. *Ideam* meam *Hiſt. Litt. Dan.* p. 347.

§. LXVI.

Gertrudis *Petræa* Mulier fuit Stegenſis, ſedem-

demque in Inſula Mona habuit. Illa pie erudita *Librum Precationum* Daniee confecit, MStum in Bibliotheca *Reſeniana* olim aſſervatum, juxta Catalogum p, 331. num. 45.

§. LXVII.

- - - - *Podevels*, Filia *Dionyſii Podevels* & *Catharina Hedevigæ von Ahlefeld*, Latine fuit doctiſſima in Nobili prædio Gramgaard prope Ripas nata; Filias Comitis *Friderici ab Ahlefeld*, Pro-Regis Holſatiæ, ſub cura ſua habuit & inſtituit; anno 1670. fato functa. Inter Mulieres Daniæ, eruditione claras, memoratur a laudato *Sperlingio* p. 326.

§. LXVIII.

Anna Margareta *Quitzov*, Femina & proſapia & litterarum cultu clariſſima, nata eſt Patre, *Erico Quitzov* de Quitzöholm, Regio Chiliarcha, & Matre, *Suſanna Juul*, Matrona Nobili & docta, ſupra mihi in hoc *Gynæceo* memorata; poſtea Uxor facta Nobiliſſimi *Chriſtiani de Pappenheim*. Illa tantos fecit in litteris progreſſus, ut Linguas Romanam, Gallicam, Belgicam & Germanicam probe intellexerit, ſæpiusque auſa fuerit cum Viris etiam doctiſſimis certamina litteraria inire, & de qualibet Philoſophica materia diſſerere: diſſeruit autem prudenter adeo & argute, ut, qui præſentes fuerunt, ipſorum Mentes ſummæ illius eruditionis ac maturi judicii admiratione facile ſtuperent. Varias ad Viros doctos *Epiſtolas Latinas* ſcripſit, quin & *varia* arguta *Epigrammata*, quæ lucem

non-

nondum viderunt. Cetera nos docebunt ipſius *Quitzoviæ* ad *Otthonem Sperlingium* an. 1673. transmiſſæ Litteræ, quod ingenii tam præclari monumentum meretur hic legi.

QUITZOVIÆ ad SPERLINGIUM Epiſtola.

Quamvis adhuc longa dierum annorumque ſerie vitæ curſum metari nequeam, neque tamexornata ſim virtutibus, ut dierum brevitati addant ſplendorem, vitæque expandant definitionem; Nihilominus eandem a me petentibus repulſam dare nolui, ſed ex illorum petitione paucula ordine iis exponam breviter: 1) *Stemmatum meorum originem.* 2) *Nativitatis locum.* 3) *Juventutis educationem.* 4) *Magiſtrorum informationem.* 5) *Studiorum initium & progreſſum usque ad hunc diem. Quæ omnia absque omni fuco depingam & detegam.*

I. Quod ad Stemmatis pertinet originem, eundem, Paterno genere, duco ex Generoſiſſimo & perantiquo Stemmate Nobilium QUITZOWIORUM (quorum inſignia conſiſtunt duabus ſtellis, rubra & alba quadam) qui ab initio quidem in Germania, in March Brandenborg orti, ſed jam

jam per 300. annos in celeberrimo Daniæ Regno ſuis ſe propagarunt radicibus & ſurculis. Chariſſimorum Majorum primus, qui in Daniam pervenit, fuit MATTHIAS QUITZOW; a quo Pater chariſſimus, Generoſiſſimus Heros, ERICUS QUITZOW, Dnus de Sandagergaard, Regiæ Majeſtatis Chiliarcha Legionum, Fioniæ & ſelandiæ & Præfectus Territor: Lundenis & Böfling, linea deſcendente ſeptimus eſt. Eheu! Hic mihi eſt, unde merito conficiar dolore; Ille enim quatuor amiſit filios, & liberis jam plane eſt orbus, me unica filia excepta, Materno genere orta ex Nobiliſſimo & perantiquo Stemmate JULIORUM (in quorum Inſignibus flavea ſtella & 3. albæ reperiuntur undæ) qui per longiſſimum temporis ſpatium Daniæ fuerunt Incolæ, vitam haud tranſigentes ſilentio, ſed & Catholicis ſeculis & poſtea ad egregia fuerunt evecti honoris faſtigia tam ſacra, quam mundana; quæ teſtantur Danicarum rerum Scriptores accuratiſſimi & Chronologi celeberrimi. Avus chariſſimus, Nobiliſſimus Heros, JANUS JUEL, Dnus de Aabierg, Kieldgaard, Wosborg, Brusgaard &c. quondam Regni Daniæ Senator, Pro-Rex Norvegiæ & Præfectus Territorii Agerhuus, eidem fato, ac Pater chariſſimus, fuit ſub-

jectus, ut filiis orbatus fuerit; quinque vero filias habuit ſuperſtites, ſummo ſibi honori & gaudio, in quarum numero etiam ſuaviſſima Mater, Nobiliſſima Heroina, SUSANNA JUEL, Domina de Aabierg.

II. Natale ſolum eſt Provincia Fionia, locus eſt Aula paterna Sandagergaard, quæ apud Majores meos una eademque ortos linea jam fuit per 200. annos, Majorumque clariſſimorum in hoc Templo reperiuntur 1. Atavus, nobiliſſimus HENNINGIUS QUITZOW Senior, de Sandagergaard, Præfectus in Rugaard, Filius Nobiliſſimi *Johannis Quitzow* de Olſtrup, & Nepos Nobiliſſimi *Matthiæ Quitzow* (cujus ſupra fecimus mentionem) 2. Abavus clariſſimus, Nobiliſſimus Heros, GEORGIUS QUITZOW, Dnus de Sandagergaard & Jerſtrup, qui *Johanne* Dan. Septentr. Rege iniit Præturam Jur. Dic. Fioniæ, *Friderico I.* Rege cooptatus in Senatum & Rege *Chriſtiano III.* factus Regni Cancellarius primus poſt Reformationem. 3. Proavus, Generoſiſſimus Heros, HENNINGIUS QUITZOW Junior, de Sandagergaard, Quitzowsholm, Lychisholm, Rörbech & Falde, Præfectus in Rugaard, qui 56. ætatis anno caſtra ſeque-

quebatur contra hoſtes Patriæ & eodem anno ægrotus Hafniam pervenit, ubi ſuum obiit diem. 4. Avus chariſſimus, Nobiliſſimus Dnus FRIDERICUS QUITZOW, Dnus de Sandagergaard & Quitzowsholm; Oſſa horum omnium hic quieſcunt. Hanc aulam paternam Deus Optimus, poſt multas tempeſtates, bellique procellas, chariſſimis reſtituit Parentibus, & usque ad hunc diem poſſidere permiſit.

III. Annis infantiæ, tenuiſſima valetudo Parentes chariſſimos majorem in modum habuit ſolicitos, igitur quaſi in gremio Matris ſuaviſſimæ nutrita fui; & quemadmodum amore materno meam curavit valetudinem diligentiſſime, ad ingenii quoque ſtatum convertit oculos, & pro ſumma prudentia in hanc incubuit curam, ut valetudinem conſervaret & ingenium promoveret; creſcentibus igitur annis & animi ſenſibus, Deo me commiſſam imbuere cœpit inſtitutionibus neceſſariis, veramque Dei notitiam in corde meo plantare. Et quoniam Parentes chariſſimi virtuti & doctrinæ ſemper fuerunt deditì, earumque cultores, me quoque in Virtutis viam deducere voluerunt, quo ejus ut & doctrinæ quærerem & invenirem theſaurum, inpri-

mis cum animadverterent me Divino beneficio tali ingenio præditam eſſe, ut, quæ cuperem, caperem, Ego etiam (ad inſtar liberorum, qui parentum gaudent opificio) ſtatim amavi id, quod Parentes amare & exercere vidi, ſed valetudinis gratia (ut ſupra dixi) Mater ſuaviſſima me communi Scholæ violentiæ committere noluit, ſed ipſimet ſibi Magiſtræ impoſuit molem, quod inceptum tam bene ſucceſſit, ut quarto ætatis anno in Danicis libris promte legere potuerim, quod Parentibus clariſſimis indicabat me præſtantioris doctrinæ capacem eſſe; Sed quoniam optimus Pater eo tempore a sereniſſimo Rege *Friderico III.* b. m. Gubernator Malmogiæ factus fuit, & ob temporum acerbitatem Parentibus optimis poteſtas non dabatur Præceptorem mihi favendi, Matri dulciſſimæ, bello frèmente, hic labor aliis injucundus tam fuit jucundus, ut ſimul cum vernacula Germanicam Linguam ita mihi inculcaverit, ut illam legere ac intelligere valuerim, poſtea Danice, Germanice ac Latine ſcribere me edocuit ut & primordia Linguæ Romanæ, adeo ut ejus dulcedinem guſtare inceperim; tum virginalia mihi expoſuit exercitia & nunquam ſivit otioſam eſſe. Arbitrabantur itaque optimi Parentes, poſtquam 9. annos

nos

nos conſumſiſſem ſub diſciplina Matris chariſſimæ (qua meliorem Matrem & ſvaviorem Magiſtram non eſſe, affirmare audeo) me ſcientia tanquam puellam ſatis inſtructam fuiſſe.

IV. & V. Cum vero ſupra omnes delicias Romanam haberem Linguam & ad eandem ſummo traherer amore, ſeriis apud Parentes chariſſimos inſtiti precibus, ut mihi permitterent artibus liberalibus operam dare; cui petitioni tam ſatisfecerunt benigne, ut usque ad extremum vitæ ſpiritum iis dignas gratias nunquam agere queam. Occaſio autem iis defuit, usque dum Rex Celſiſſimus FRIDERICUS III. bello jam ad Colophonem perducto, Patrem Neoburgio præfecerit Gubernatorem, tunc temporis optimus Pater ratus ſibi jam adeſſe tranquillitatem, petitionem meam mihi effectam dare ſtuduit. Nobiliſſimis igitur Parentibus curæ cordique fuit diligentem & doctum invenire Præceptorem, qui, Divina gratia, iis quoque contigit. Decimo enim ætatis anno ad me venit Litteratiſſimus *Johannes Thomæ Svenoburgius*, qui me artes liberales edocuit cum ſumma cura, anxietate & diligentia; ab acerbitate tam fuit alienus, ut virgam mihi certiſſime

nunquam admoverit, verbis præterea tam lenis, ut ei obtemperaverim favore non timore, ſed eum colui maxima cum reverentia. Linguæ Græcæ tyrocinia mihi quoque detexit, ſed brevi temporis ſpatio; paulo enim poſt a Deo Omnipotentiſſimo & Rege Clementiſſimo vocatus fuit ad Curionem Eccleſiarum Schive & Reſen, poſtquam eum per 5. annos audiviſſem. Ejus diſciplina & Parentum chariſſimorum inſtitutionibus ſtudia mihi reddebantur tam chara, ut eadem omnibus anteferam gazis. Poſt ejus abitum Scholam non frequentavi, ſed Parentum optimorum admonitiones auſcultavi libenter & diligenter. Ne autem tempus tererem inanibus & minus neceſſariis, neque præſtantiſſimam Linguam Romanam oblivione delerem, exercitii gratia II. primos M. T. Ciceronis Officiorum Libros, ut & III. priores Libros Caji Julii Cæſaris de Bello Gallico pro ingenii modulo in Linguam vernaculam, nec non dimidiam partem Belli Trojani ex Lingua Danica in Romanam transtuli Linguam. Et quo Pater Nobiliſſimus beneficio Arithmeticæ Divinæ exacueret ingenium, ipſemet æque ac clariſſimus chariſſimus & unicus Patruus, Generoſiſſimus Heros, HENNINGIUS QUITZOW, Dominus de Quitzovsholm,

holm, Regiæ Majeſtatis Chiliarcha & Gubernator, hujus clariſſimæ ſcientiæ ſvavitatem mihi inſtillare coeptavit; flores vidi, fructum guſtavi, ſed Patruum optimum anno præterlapſo, proh dolor! amiſi; Deum maximum oro atque obteſtor, ut Patrem chariſſimum mihi ſervet ſoſpitem & incolumem. Poſtea ſtudia ſemper tractavi tanta cum voluptate, ut iis mihi nihil fuerit antiquius; ad quæ etiam ſummopere me exſtimulavit hujus loci digniſſimus Paſtor, vigilantiſſimus & ad ſtuporem usque litteratiſſimus *Dnus Johannes Olai Fangelius*, ex cujus præſentia & colloquio ſummam hauſerim lætitiam, ſummamque utilitatem & ille rurſus ſtudiorum gaudebat progreſſu, haud ſecus ac ſi diſciplinæ ejus fuiſſem commiſſa. Quid vero loquar? Ille jam Cœlorum eſt incola, at ego in mundo ſuperſum Quodſi vero diutius manſiſſet in vivis, Linguam ſanctam & Poëſin pulcherrimam me edocuiſſet; principium vidi, ſed exitus eſt incertus, Præterea cum Parentes Nobiliſſimi nullis pepercerint rebus mihi utilibus, & Linguam Gallicam diſcere magno deſideraverim opere, ejus Linguæ fundamentum jecit Hafniæ celeberrimus Linguæ Gallicæ Magiſter, *Jaques de Dampierre*, quam poſtea ut & Romanam colui

Linguam & ipſa ruminavi, quæ a clariſſimis didici Magiſtris. Artibus liberalibus me totam devovere, Virginalia non permittunt ſtudia, ſed hoc pleno fatebor ore, iis nihil mihi eſſe pretioſius. Studia jam proprio Marte excolo, chariſſimus vero Pater ab aliis vacuus negotiis illorum curam gerit, & iis acquieſcit valde atque hac etiam hyeme Aſtronomiæ primordia mihi demonſtrat. Porro in omni ſtudiorum genere me oblecto, ſed ad certum aliquod ſtudium animum non appuli; cui enim uſui? Attamen Ethicæ & Hiſtoriarum cognitio mihi majorem in modum placet. Quod reliquum eſt, audivi quidem, doctrinæ aditum eſſe ſpinoſum & difficilem; ſed Divina gratia pro certo affirmare poſſum, ejus viam roſis eſſe refertam, ſed ſpinas neque vidi, neque me pupugerunt unquam. O! quantum idcirco nefas committunt, qui doctrinam tam arduam & formidoloſam depingunt, ut ob ejus acerbitatem feminæ viam doctrinæ ingredi ſuperſedeant, & ejus clariſſimo itaque excludantur exitu. Tam certum mihi eſt, quam quod certiſſimum, quod ſi feminis fideles adeſſent duces, doctrinæ viam calcarent æque frequenter & libenter, ac viri. Ohe! quam ſæpe audivi Matrem ſvaviſſimam eos accuſaſſe, qui hanc

viam

viam ei non demonſtrarunt ſincere; ad metam perveniſſet certiſſime, ſi in doctrinæ tramitam ſedulo fuiſſet deducta.

Ad extremum igitur Illuſtres viros, ſexus mei nomine, oratos volo, ut eundem non terreant, ſed potius manu ducant in viam tam ſecuram, quo tam præclarus hunc ſexum etiam maneat exitus.

Vivit poſt funera Virtus.

Scriptum Sandagergaard.
IX. Calend. Februar.
Anno M D CLXXIII.

Anna Margareta Quitzow,
Erici filia.

NB. Quam ſupra memoravit in ſua Epiſtola *Anna Marg. Quitzow*, *Julii Cæſaris Hiſtoria* inter MSta rariora Bibliothecæ *Brahæana* adhuc viſitur in 8vo.

§. LXIX.

Chriſtiana Barbara *Rantzov*, Filia illuſtriſſimi & generoſiſſimi *Joh. Rantzovii*; Equitis aurati, & S. R. M. Daniæ & Norvegiæ olim General-Lieutenant, quæ initio Viro illuſtr. & Nobil. *Wernero Pasberg*, Domino de Biſtrup, Eskiær & Skivehuus, inde vero, poſt ſexennii viduitatem & ſolitudi-

nem, an. 1728. Viro illuſtriſſ. *Claudio Reventlaw*, hodie Diſtrictus Schanderburgenſis Regio Præfecto, nupſit; optimo jure inter ſexus ſui, ſeculi noſtri ac patriæ ſumma decora & illuſtriora ornamenta numeratur, adeo ut meum hoc Gynæceum Nomine Ipſius magnifico glorietur quam maxime. Judicio, ingenio, memoria & prudentia ita excellit illuſtriſſima hæc Heroina, ut principem locum inter litteratas ævi noſtri Feminas, omnium eruditorum judicio & glorioſe teneat, & rite mereatur. Danica, Germanica, Gallica & Belgica ſcribit ornate & loquitur promtiſſime. Pleroſque Auctores Græcos & Latinos, Gallica Lingua expoſitos avide perlegit; in Critica Sacra, Antiquitatibus Biblicis, nec non Hiſtoria Eccleſiaſtica & Civili omnium pene ſeculorum imo & in Philoſophiæ ſtudio ita verſata, ut, qui ipſam de rebus quibuscunque diſſerentem audiunt, admirabilem ejus eruditionem laudibus ſatis extollere nequeant. Ipſe toties expertus rei fidem mihi fecit Vir Nobiliſſ. & plur. Venerab. *M. Chriſtianus Tychonius Laſſon*, Templi Cathedr. Viburgenſis Eccleſiaſtes & Diœceſeos ejusdem Præpoſitus primarius, Amicus meus honoratiſſimus, in Epiſtola d. 14. Aug. 1729. mihi transmiſſa.

§. LXX.

Birgitta *Reeds*, quæ Patrem habuit Dominum Excellentiſſimum; *Petrum Reeds*, Equitem Auratum, Cancellarium & Conſiliarium Regium, Academiæ Hafnienſis Conſervatorem &c. ſtudiis omnibus innutrita fuit, memorante *Sperlingio* p. 314.

§. LXXI.

LXXI.

Anna *Reimer*, Matrona docta, Stavangriæ in Norvegia degens, varios hymnos, patria lingua ob poëſin inſignem plurimis laudatos compoſuit, indicante Viro Celeb. *Tormodo Torfæo* litteris ſuis ad *Otthonem Sperlingium* anno 1703. die 16. April. datis; quod in MSto *Sperlingiano* pridem obſervavi.

§. LXXII.

Eliſabetha *Rhumanna*, filia *M. Wulfgangi Rhumanni*, olim in Acad. Hafn. Eloquentiæ Profeſſoris, Soror vero *M. Arnoldi Rhumanni*, Scholæ Roëskildenſis Rectoris, Linguæ Latinæ ſtudium exercuit, etiam in ſenectute verſus Latinos compoſuit. Ad Danicam Poëſin promta ipſi vena fuit & fœcundum ingenium. Exſtant elegantiſſima Carmina Danica, quibus Affini ſuo, Viro ſumme Venerabili, *M. Jano Bircherodio*, Epiſcopatum in Norvegia Chriſtianſandenſem an. 1706. gratulata eſt, quibus nomen ſuum ſubſcripſit hoc modo: *Jeg dagligen, onsker ſamtlige Mine Venner maa Leve Rolig*, hisque ultimis verbis nomen ſuum *Lisbeth Rhuman* texit. Maritum habuit *M. Caſparum Weiſerum*, initio Profeſſorem Lundenſem in Scania, ſed, poſt bellum Suevicum ann. 1677. cum Danis geſtum, in Daniam profugum & mox SS. Theologiæ Lectorem apud Chriſtianienſes in Norvegia conſtitutum, ubi mortuus eſt an. 1686. Pluribus vero annis ab exceſſu Conjugis ſui elapſis, in Daniam rediit, paupertati ſuæ ſolatium in aula Regia quæſitura. Hafniæ

niæ demum an. 1707. Menſe Junio vivis exceſſit, ſeptuagenaria Major.

§. LXXIII.

Catharina *Rönnov*, Matrona Nobilis, Soror *Birgittæ Rönnov.* Hæc litteris & litteratis fuit faventiſſima, variasque peregrinas Linguas ſibi reddidit familiares. Hujus *Precationum Sacrarum Librum MS.* Danice compoſitum poſſidet Bibliotheca ſæpe laudatæ *Catharinæ Brahe.*

§. LXXIV.

Edela *Roſenkrantz*, Nobilis Matrona, ſtemmate antiquo Nobili & haud vulgari, qua excelluit, doctrina clara fuit. Cui debemus *D. Johannis Gerhardi*, celeberrimi Theologi, *Theſaurum Chriſtianorum ſpiritualem*, Danice translatum, qui prodiit Hafn. 1650. in 12. at mihi nondum viſus.

§. LXXV.

Ida Margareta *Roſenkrantz*, Soror *Jani Roſenkrantzii* Cubicularii Reginæ CHRISTIANI QUINTI, & Præfecti Neoburgenſis in Fionia, Filia vero illuſtr. *Georgii Roſenkrantzii*, quondam Academiæ Soranæ Supremi Præfecti, & *Chriſtentiæ Juul*; in Chymicis & Matheſi fuit expertiſſima, & in Chymicis illo ſecreto gaviſa, ut herbæ cujusdam virtute Mercurium ex Saturno feliciter expellere noverit, prout refert *Sperlingius* in ſuo MS. p. 320.

§. LXXVI.

§. LXXVI.

Petronella *Roſenkrantz*, Matrona Nobilis, Filia *Jacobi Röſenkrantz*, Conjux autem *Gundæi Roſenkrantz*, juxta *Reſenium* in Catalogi ſui Indice, ob doctrinæ &, ſinceræ pietatis cultum, a noſtratibus laudatur. Illa Danice elaboravit *Guds Börns Tro og Tilliid til Gud i Bedröveelſen*, i, e; *Piorum Fidem ac in Deum Fiduciam in mœrore.* Londini Scanorum 1673. in 8. Scripſit hunc Librum Stockholmiæ in Suecia, (quo maritum ſuum comitata fuerat) anno 1666. Ipſum Libellum, qui demum an. 1673. in 8. prodiit, approbavit, nomine Conſiſtorii Stockholm: 1667. d. 25. Febr. *Magnus Pontinus*, & in Cancellaria Regia *M. Brennerus*. Auctor Nobiliſſima nomen ſuum ita expreſſit: *Guds Börns Tro og Tiliid, ſom forlader ſig Paa Rætfærdigheds Konge J Dröveelſe.* ex quibus litteris initialibus quinque poſtremis verum nomen proſilit: *Pernille Roſen-Krantz, Jacobs Datter.* Carmina gratulatoria in honorem ejus ſcripſerunt *D. Petrus Winſtrupius*, Scaniæ Epiſcopus & Pro-Cancellarius, *D. Bernhardus Oelreich, Joh. Frider. Hiort*, *Nicolaus Severini*, Pr. & P. Malmogienſis, *Magnus Platinus*, ſupra memoratus, Eccleſiaſtes D. Jacobi Stockholmienſis. Epiſtolam Danicam adjecit ipſe Maritus, *Gundæus Roſenkrantz* ex Pathmo ſuo Helſingburgenſi d. 13. Nov. 1673.

§. LXXVII.

Sophia *Roſenkrantz*, Matrona Nobilis, Conjux fuit Nobiliſſ. *Stenonis Brahe*, cujus laudes ac

in

in bonas litteras veramque pietatem amorem enarrant *Piæ & ſalutiferæ quædam cogitationes* ab Ipſa *Conſcriptæ*, & in Bibliotheca Nob. *Catharinæ Brahe* inter rariora MSSta aſſervatæ, juxta Catalogum p. 155.

§. LXXVIII.

Sophia Amalia *Schade*, Filia *Offonis Schade*, Virgo doctiſſima in Dania, litteris ipſis impalluit & immortua eſt, juxta *Sperlingium* in Catalogo Eruditar. Feminar. MS. p. 310.

§. LXXIX.

Anna *Schram*, Heroina Danica illuſtris, fuit Poëtria feliciſſima, quæ *Imagines Regum Daniæ*, vivis coloribus manu artificioſa depinxit, ſingulisque *Danica Carmina* adjecit, quod ſcriptum in illuſtri Regia Bibliotheca Hafnienſi aſſervari dicitur. Conf. §. XLIX. de *Anna Krabbe*.

§. LXXX.

Eliſabetha *Schram*, Filia *Laurentii Schrammii*, & *Marinæ Bilde*, Uxor *Henrici Belovii* fuit. De qua *Lyſchander* in ſuo MSto *de Scriptis Dan.* ita loquitur: *Matrona pietate & probitate omnium ſua ætate clariſſima, in Sacrarum litterarum lectione & ardenti Divini Numinis invocatione aſſidua, ingenio, memoria & judicio excellens, cum Viris doctiſſimis de rebus graviſſimis, præcipue ſalutis negotiis, omnium cum admiratione ſolide ac ſobrie ſæpe differens, mundanas vanitates nihili faciens, Deum ſolum, Maritum & liberos*

reſpi-

reſpiciens, vitæ ac morum integritate ſexum & ſtatum mirifice ornavit & in agone plurima placatiſſimæ conſcientiæ, Divinæ gratiæ & Spiritus indicia reliquit. Scripſit varias ad Deum Optimum Precationes. Quem locum ex MSto *Sperlingiano* p. 616, 617. deſumſi.

§. LXXXI.

Mechtilda Dorothea *Sekman*, Hafniæ an. 1680. die 26. Aug. nata eſt Patre, viro illuſtri *Balthazare Sekman*, Conſiliario ſtatus & Collegii Rei Maritimæ bellici Triumviro Regio, Matre, *Magdalena Catharina von Platou;* & anno 1712. d. 10. Nov. Matrimonio juncta Viro Nobiliſſimo, *Dieterico Sekman*, tum in ſupremo Juſtitiæ Tribunali & Cancellaria S. R. M. Secretario. Illa ad decus unice & veram laudem inflammata, virtutes natura exercuit; exercitas ſcientia mirifice ornavit. De eruditione ejus ita habet Programma Hafnienſe, quod in exequias hujus *Sekmannæ* d. 9. Febr. 1716. Rectore Magnifico, *Johanne Steenbuchio*, prodiit: *Tam vividus erat capacitatis* Sekmannianæ *impetus, ut, quicquid videret curſim, imitaretur, quicquid ſubito audiret, aſſequeretur continuo, quicquid animi gratia tentaret, decore & quaſi ad amuſſim perficeret. Quid ergo loquar de mira Ejus docilitate in percipiendis addiſcendisque diſciplinis? qua factum, ut ſapientiæ Divinæ & Humanæ longe ſupra Feminarum vel captum vel morem ſcientiſſima, linguarum, queis mentem ſuam explicat Gallus, Italus, Germanus, uſum ſic ſibi comparaverit, ut appareret in ea nativus quidam lepos, non adſcitus. Omnia Hiſtoriæ decora anguſto ſinu complexa, raram meliorum rerum ſapientiam, quam jugi ſtudio, apiculæ ad*

inſtar,

inſtar, ex optimorum vitæ Magiſtrorum libris ſeu floribus collegit, ad invidiam usque callebat. Pie ſpiritum efflavit d. 24. Jan. 1716. nata annos XXXV. & Menſes V.

§. LXXXII.

Ingera Jani *Sönberg*, Virgo Cimbrica, Patrem habuit plur. reverendum *Dn. Janum Andreæ Sönberg*, ab an. 1648. ad 1690. per annos 42. Eccleſiarum Wisby & Heltborg in Diœceſi Alburgenſi Paſtorem religioſiſſimum. Illa patrio ſermone confecit *Sialens daglige Rög-Offer: Animæ Sacrificium fumificans quotidianum, coram Deo accenſum in precibus, cantilenis & ſuſpiriis Matutinis ac veſpertinis.* Hafn. 1710. in 8. Librum hunc pium in prædio Paſtorali Wangenſi Diœceſeos Alburgenſis abſolverat, anno 1698. d. 5. Jul. a *D. Jano Jac. Bircherodio*, Alburgenſium Epiſcopo, & die 1. Aug. a *D. Joh. Bartholino*, hodie in Acad. Hafn. Theol. Profeſſore primario, approbatum, demum vero 1710. impreſſum, & Auguſtiſſimæ Donorum Reginæ LOVISÆ dicatum. Preces complectitur matutinas & veſpertinas, nec non Cantica & ſuſpiria metrica, ſingulis diebus deſtinata. Ut vero conſtet, quantum in Poëſi Danica ſacra valuerit piiſſima Auctor, en! ſpeciminis loco, quos ipſa prima pagina ſiſtit, verſus:

En ſtoor Naades Forſikring for hver dend
Sial, ſom lover, tilbeder, troër og rat troligtiæner Gud.

Vel

*Vel dig, Gud-givne Siæl, ſom Gud andæg-
tig lover!
Og ej hans morgen-priis paa Verdens Ski-
ööd forſover,
Men med Bön-Offer ſaa begynder aldtid
Dagen,
At din Jdræt hos Gud kand være vel an-
tagen!
Velſigned være Du, ſom ſlige Sukke ſender
Til Himmelen, at Du Guds Hierte til dig
vender!
Du forud Salig er, Dig Arven ſkal tilfalde,
Som loved og tilſagt èr alde Guds Udvalde.
Din Maane-deelte Tiid og Sool-regierte
Dage
Forundes Dig, til Liv og deel i Gud at tage.
Bliv ved at ſee til Gud i Bön med Troens
öje,
Saa ſkàl Hand viſt igien med Nödtörft dig
fornöje.
Til Bön, til Sang og Suk, til Tak for Liv og
Lykke,
Brug aarle, ſildig og, Kong Davids gyldne
Smykke:
For Synd naar du med graad vil Chriſti
Födder tvette,
Vil hand af Godhed med ſit blood din Synd
udſlette,*

H Miſkun-

Miſkundig til Dig ſee, ſom ingen end forſmaade,
Og give dig til Svar: Du haver funded Naade!

In calce hujus Libri laudatur hæc *Sönbergia* variis Carminibus gratulatoriis a *Severino Matthiæ Höberg*, *Jano Godſen*, *Magno Olai Aagardo*, *Marco Severini Sejer*, *Johanne Franciſci Hagendorn* & *Jano Pauli Grönkier.*

§. LXXXIII.

SOPHIA, Daniæ & Norvegiæ Regina, glorioſiſſimi FRIDERICI SECUNDI Conjux, ita laudatur a Clar. *Petro Gaſſendo* in *Vita Tychonis Brahæi* Libr. III. p. 68. Ipſe Regis Socer *Uldaricus*, Megapolenſis Dux, una cum *Eliſabetha* Conjuge, & fratris filio Duce *Sigismundo* Uraniburgum inviſit, ut ſpectaret coram tum Aſtronomica inſtrumenta, tum apparatum Pyronomicum; *deducente quidem ipſa Daniæ Regina* Sophia, *quæ parentis imitatione Chymicis ſtudiis delectata*, *bis hoc anno* (1586.) *mare trajecit*, *ut* Tychonis *Laboratorium*, *operasque contemplaretur*; *ipſi aliundè quibuscumque in Aula potuit officiis favens.*

§. LXXXIV.

Anna *Sparre*, Conjux *Willichii Weſthovii*, Comitis Palatini Cæſar. Scholæ Herlovianæ Rectoris in Sædlandia, & celebris inter Danos Poëta, (cui anno

anno 1611. nupſit) Feminis Daniæ eruditis merito annumeratur ob eruditionem, quam in Lingua Latina & Græca ſibi acquiſiverat. Proſtant *Aphemi cujusdam* (vero nomine *Bertili Canutii:*) *poëmata Græca ad Viros Nobiles & Doctos Daniæ*, edita a *Guilielmo Ulrici* Haſn. 1630. in 8. inter quæ Epigrammata unum quoque legitur huic *Annæ Sparre* ſcriptum.

§. LXXXV.

Anna *Tot*, de Faarup, Virgo fuit Nobilis, ſtudiis mirifice dedita, Linguarum quoque Gallicæ & Germanicæ peritiſſima. Cujus devotum Deo laborem & ſinceram atque doctam pietatem abunde teſtantur ſequentia ab Ipſa elaborata Scripta; (1) *Schulteti Poſtilla*, *Danice translata* in 4to, (2) *Precationes Schulteti Diebus Dominicis & Feſtis totius anni uſurpandæ*, *in Danicum ſermonem verſæ*, Conf. Catal. *Reſenii* p. 352. n. 29. & 47. quæ duo hactenus latuerunt MSS. At in lucem emiſit *ſalutarem Petri Molinæi Inſtitutionem ad Pios*, *Sacra Cœna uſuros*, e Gallico Danice translatam. Haſn. 1657. in 12mo.

§. LXXXVI.

Anna Hedevigis *Tot*, Nobilis Matrona, Conjux Perilluſtris *Georgii Brahe* de Hvedholm, Verſionem Danicam elaboravit in *Explicationem Germanicam Pſalmi CXIX.* quæ 22. Concionibus conſtans auctorem agnoſcit Virum celeberrimum, D. *Joh. Arndium*. (2) *Johannis Olearii Scholam Virtutum*

tutum Danico idiomate expoſuit. (3) *H. Mulleri Meditationes in VII. Pſalmos Pœnitentiales* Danice vertit, quæ MSSta in Bibliotheca *Brabaana* nuperrime vidi.

§. LXXXVII.

Beata *Tot*, Matrona Nobilis & erudita, in Linguam patriam varia tranſtuliſſe dicitur, alia quoque proprio Marte elaboraſſe, quæ omnia adhuc inter MSta illuſtrium Bibliothecarum deliteſcunt.

§. LXXXVIII.

Birgitta *Tot*, Matrona illuſtris & Generoſa nata in Fionia in prædio Boltinggaard an. 1610. patre *Chriſtiano Tot* & Matre *Sophia Belov*, ſupra memorata, Maritum habuit Virum Nob. & generoſ. *Otthonem Giöe*, de Turebygaard. Illa in eruditarum apud Danos Mulierum ſerie, atque adeo in hoc noſtro Opuſculo locum facile principem omnium judicio meretur, ita enim non a linguarum tantum, quæ eruditis ſolent eſſe familiares, ſed & ab omni propemodum litterarum genere fuit inſtructa, ut ſtupendæ Ejus eruditionis fama late percrebuerit, viroſque etiam doctrina fertiliſſimos, & in libris ac litterarum cultu per omnem ætatem verſatos in ſui traxerit admirationem, ut proinde a celeb. noſtro *Thoma Bartholino*, tanquam *Sexus Feminini Sidus & Miraculum* ſuo jure extollatur. Quid igitur in ſtudiis præſtiterit laudatiſſima hæc Matrona, ſequens docebit ſcriptorum ab Ipſa editorum Catalogus. (1) *Philippi Mornai Vitæ & Mortis*

tis conſideratio, *e Lingua Gallica Danice translata.* Hafn. 1652. in 8. (2) *Remedium contra omnes ſolicitudines*, *ſive brevis Tractatus de Animi in quocunque ſtatu tranquillitate*, *Anglice ſcriptus a Joſepho Hal*, olim Nortvicenſi apud Anglos Epiſcopo, *Danice redditus*. Hafn. 1654. in 12. (3) *L. Annæi Senecæ Opera omnia*, *in Danicam Linguam verſa.* Soræ 1658. in Folio. (4) *Fabula Cebetis Thebani* Danice expoſita. Hafn. 1661. in 12. (5) *Epicteti Enchiridion de Animi Quiete.* Danice. Hafn. 1661. in 12. (6) *Præfatio Danica*, quam addidit ſcripto vernaculo *Eliſabethæ Tot*, de qua inferius plura. Quæ vero inedita reliquit, ſunt ſequentia; (1) *Meditationes* Nonneminis *in Ultima verba Chriſti: Conſummatum eſt*, quas in Danicám Linguam verterat. (2) *Petri Molinæi Pugna Chriſtianorum*, ſeu *Tractatus de Cruce & Calamitate Piorum in hac Vita*, e Gallico Danice translat: (3) *Joſephi Hall Cogitationes Captivi Liberi*, e ſermone Anglico Danice translatæ in 4. (4) *Ludovici Vives Explicatio Orationis Dominicæ*, ex Latino in Danicam Linguam verſa. (5) *Tractatus de via ad felicem Vitam*, quam Danice compoſuit. in Fol. (6) *Præfatio Vernacula*, quam Scripto *Danielis Dykke* Anglico adjecit, in ſermonem patriam translato a *Sophia Belov*, ſupra memorata. Conf. de Ejus ſcriptis *Alb. Bartholin.* de Scriptis Danorum pag. 16. *Molleri* Hypomn. pag. 170. 171. & ſpicileg. Hypomn. p. 7. *Witten*: D. B. Tom. I. ad an. 1662. *Reſenii* Catalog. p. 351. n. 14. 1. 16. & pag. 353. n. 74. Imaginem *Birgittæ Totæ*, æri inciſam, ingenioſo hoc Epigrammate ornavit *Vitus Beringius*, Regius Hiſtoriographus, & celebris Danorum Poëta:

Pingitur abjecta procul ægide Pallas & haſta,
Atque per Arctoas ſtat rediviva plagas.
Hoc vultu noſtris affulget TOTTIA terris,
Ingeniique decus præripit omne viris.
TOTTIA, ſecreti quæ nunc penetralia pindi
Atque animi invadit, nobilioris opes;
Id ſupplex Natura vides: Ediſſerit artes
Femina, quodque Viri diſcimus, illa docet.
Doctis fœta libris, clarisque puerpera ſcriptis,
Et nova Palladio pignore facta parens.
Hactenus & Charitas numeramus & ordine Muſas,
Græcia quas, vel quas Itala jactat humus.
Nomina quid libuit tot fingere vana Dearum?
Non opus eſt, Lector, fingere, vera vides.

Conf. Delicias Poëtarum Danorum ab illuſtr. *Friderico Roſtgardo* Lugduni Batav. 1693. edit. in 12. Tom. II. p. 39. In editione *Operum Senecæ* Danica Nobiliſſimam *Tottiam* Carminibus ſuis & Acclamationibus celebrarunt *Anna Maria a Schurman*, *Georgius Roſenkrantz*, Nobilis Danus, *Marcus Gioe*, *Falconis fil.* Nobilis itidem Danus, *D. Henricus Ernſtius*,

ſtius, in Acad. Sorana Profeſſor, *D. Thomas Bartholinus*, P. P. in Acad. Hafn. *D. Joh. Laurenbergius*, Math. P. in Acad. Sorana, *Joh. Faber*, Eloqu. P. Soranus, *Eraſmus Joh. Brockmannus*, Hiſt. & Polit. in Reg. & Equ. Acad. Sor. Profeſſor, *Ericus Ericius Pontoppidanus*, P. L. C. & R. A. E. *Caſparus L. Smetius*, Reg. Scholæ Soranæ Rector, *Johann. Claudii Roſſingius* & *Petrus Schumacherus.* Epigramma celeberrimæ *Annæ Mariæ a Schurman* (quod in honorem utriusque Feminæ ſpectatiſſimæ heic adducere lubet) ita legitur:

En Senecæ magnam nunc Femina Nobilis umbram,
Et cineres tanti eſt auſa ciere Viri.
Huic dedit illa novam Arctoo ſub ſidere vitam,
Atque novo edoctum jam facit ore loqui.
Corduba cede locum, Annæi te gloria liquit,
Dania quam merito vindicat una ſibi.
Cimbrica Muſarum Decimæ gens necte corollas,
Nympharumque chorus præmia digna ferat.
Quidni Parnaſſi ſit digna cacumine ſummo,
Quæ parit huic vitam, ſed ſine morte novam?

Inſtructiſſimam Bibliothecam poſſedit doctiſſima *Birgitta Tot.* Soræ deceſſit an. 1662. d. 8. Apr.

 ætatis

ætatis ſuæ anno 53tio, funebri Programmate celebrata d. 30. Apr. ejusdem anni Soræ impreſſo & edito ab Academiæ Soranæ illuſtriſſimo Præſide, *Georgio Roſenkrantz*, *Olig. filio*.

§. LXXXIX.

Eliſabetha *Tot*, Domina de Gladſax, Virgo fuit Nobilis, *Birgittæ Tot*, nuper laudatæ, ex Fratre Neptis, filia vero *Henrici Tot* & *Eliſabethæ Hvitfeldiæ*, nata an. 1636. d. 13. Decemb. in arce Coroniensi Scaniæ. Illa, prout ingenio voluit & judicii acumine, variis litterarum elegantiis inſtructa fuit, & libris legendis ac conſcribendis prorſus dedita; in Linguis Anglica & Gallica addiſcendis *Birgitta Tot*, Amita ſua, Magiſtra uſa. Orbi erudito conceſſit Librum a ſe confectum, ſcilicet *Gudernes Gæſtebud*, i. e. *Convivium Deorum* Hafn. 1655. in 4. editum. Reliquit præterea *Thomæ Fulleri Bonas Cogitationes in malis & pejoribus temporibus*, *Anglice ſcriptas*, Danice deinceps translatas, quas, poſt fata Nobiliſſ. *Eliſabethæ Tot*, in lucem publicam emiſit celeb. *Thomas Bartholinus*, Hafn. 1664. in 12. Viro Nob. & Generoſo, *Erico Sehested* de Lykkesholm inſcriptas, adjecta ſimul, quam huic ſcripto olim præmiſerat illuſtr. Heroina, *Birgitta Tot*, hujus *Eliſabethæ* Amita, Præfatione. Nuptura erat *Erico Sehested*, nuper memorato, ſed, poſt ſponſalia, morte præmatura in ipſo ætatis flore eſt exſtincta in prædio Turebygaard an. 1657. ætatis XXImum ingreſſa. In hujus exequiis proſtat *Joh. Claudii Roſingii*, tum Paſtoris primarii Eccleſiæ Calundanæ in Sædlandia, demum vero

Epiſcopi

Epiſcopi Chriſtianienſis in Norvegia, *Filiorum Dei ſtatus in terris & felicitas in cœlis*, ſeu *Concio Funebris ex 1 Joh. III, 2.* Soræ edit. in 4. Danice. Conf. *Thomæ Bartholini* Carmin. Lib. VI. p. 175.

§. XC.

Sophia *Tot*, *Eliſabethæ* Soror & *Annæ* ex Fratre Neptis, in iisdem cum Sorore ſtudiis occupata fuit, qua de re teſtantur in patrium ſermonem ab Illa translata quam plurima, ajente *Sperlingio* p. 316.

§. XCI.

Anna *Trolle*, Matrona Nobilis, Vidua *Erici Bilde*, rerum Genealogicarum admodum curioſa & ſedula Collectrix fuit, laudata proinde a *Petro Jani Luccoppidano* in Epiſtola ſua ad *Otthonem Sperlingium* an. 1702. die 6. Sept. tranſmiſſa.

§. XCII.

Helena *Trolle* eruditione quoque excelluit, inter doctas Danorum Feminas propterea numerata in MS. *Sperlingiano* p. 308.

§. XCIII.

Medea *Trolle* Carmen edidit, Belgica & Gallica lingua, & elegantia ſupra ſexum admirabili expreſſum, quo ſummam eruditionis laudem ſibi conciliavit. Conjugem habuit Nobiliſſ. *Georgium*

gium Reeds, Legatum ad Hiſpanos an. 1670. profectum. In Hiſpaniam cum Marito delata a Regina Duciſſæ, ſeu (ut Latinius loquar) Ducis dignitatem ob eruditionem, qua gratiſſima erat, adipiſcitur, annuo reditu ipſi conſtituto 6000. Imperialium, ibique moritur an. 1672. juxta *Sperlingium* in citato ſæpius MSto pag. 308.

§. XCIV.

Anna Catharina *Ulfeld*, Filia *Cornificii Ulfeld* & *Eleonoræ Chriſtinæ* natu maxima, Matris exemplo ſtudiis animum addixit, litterarum omnium elegantiorum gnara. Illa vidua Nobiliſſ. *Wiglii de Caſſette*, &, poſt liberorum mortem, in Flandria ſuperſtes, in Daniam evocatur a Matre, cum qua poſtea in Cœnobio Mariæböenſi vixit; quod memorat *Sperlingius* p. 397.

§. XCV.

Eliſabetha *Ulfeld*, Nobilis Matrona, ſuo tempore Poëſin ſuam vernaculam eruditis maxime commendatam fecit. *Carmina & Sententias in varia Emblemata* compoſuit, quæ, propria Ipſius manu deſcripta, poſtea in Bibliothecam Nobiliſſ. *Catharinæ Brahe* tranſierunt. Conf. Catal. p. 155. Huic *Eliſabethæ Ulfeldiæ*, cum vidua facta eſſet, Vir Nobilis, *Janus Krag* anno 1666. *Scriptum Conſolatorium* tranſmiſit, teſte eodem Catalogo p. 157.

§. XCVI.

§. XCVI.

Helena, (alias *Helle*) *Ulfeld*, Matrona Nobilis & illuſtris, *Librum Precationum* Danice conſcripſit in 12mo, inter MSta Bibliothecæ *Brahaana* adhuc reconditum.

§. XCVII.

Helena Chriſtina *Ulfeld*, Filia *Cornificii Ulfeld* & *Eleonoræ Chriſtinæ*, Sororque nuperrime laudatæ *Annæ Catharinæ Ulfeldiæ*, Linguas Germanicam, Gallicam & Anglicam ita coluit, ut ſupellectilem ſibi exinde locupletiſſimam pararet. Poëſin Germanicam feliciter tractavit; in pictura adeo excellens, ut, cum aliquando Emblema Magiſtri imitata, opus abſolviſſet, Magiſter ipſe dubius, quodnam ad ſe pertineret, Virginis picturam pro ſua juberet auferri. Nata fuit anno 1643. Menſe Octob. denata vero in exteris d. 11. Dec. 1677. febri quartana exſtincta, juxta *Sperlingium* p. 430. ſequ.

§. XCVIII.

Thalia *Ulfstand*, Matrona Nobilis, ſtudii Heraldici & Antiquarii fuit amantiſſima. In Catalogo *Roſigardiano* p. 539. n. 947. memoratur Fragmentum aliquod, continens (1) *Breves annotationes de paucis nonnullis Familiis ac Inſignibus Nobilitatis Danicæ*. (2) *Memorabilia obſervata in peregrinationibus litterariis a Palæmone Urne*. (3) *Genealogiam Urniorum & Ulfstandiorum*. (4) *Novem Inſignia Nob. picta*. (5) *Teſtamentum Lagonis Urne Epiſcopi*. (6) *Noti-*

Notitiam de Urniis, poſſeſſoribus Hindemae; quorum pleraque manu hujus *Thalia Ulfstandiæ* erant exarata.

§. XCIX.

ULRICA ELEONORA, ſtemmate Danico glorioſiſſ. FRIDERICI III. & Connubio Suecico CAROLI XI. Regia, ſtudiis atque eruditione egregia Regina, Latine, Gallice, Italice, Danice, Suecie, Germanice adeo fuit docta, ut cujusvis nationis ac idiomatis Legatos, libros, librorum dedicationes atque libellos ſupplices facile intelligere, promteque explicare noverit. Prout de ea diſſerit Vir Claſ. *Johannes Paſchius* in *Gynæceo Docto*, ſive *Diſſertatione Hiſtor. litteraria* vom Gelehrten Frauenzimmer / p. m. 58, 59. Nata fuit optima hæc Regina d. 11. Sept. 1656. Patre, Auguſtiſſimo & potentiſſimo Daniæ Monarcha, FRIDERICO III. Matre, SOPHIA AMALIA, sereniſſima Danorum Regina. Poſtea ſereniſſimo & potentiſſimo Principi ac Domino, Domino CAROLO XI. Sueciæ Regi feliciſſime nupſit, denata d. 26. Jul. 1693. ætatis ſuæ XXXVII. Hujus Reginæ clementiſſimæ lumen & ſplendor Henricus utriusque Nationis, Danicæ ac Suecicæ, homines in cum traxerant amorem, ut memoria Ipſius ex animis Civium utriusque Regni nunquam deleatur. In memoriam Ipſius proſtat Programma funebre Academiæ Hafnienſis, nomine Magnifici Rectoris, *Olai Römer*, d. 27. Nov. 1693. editum, necnon funebris Oratio *Pauli Vindingii*, qua *Æternas Virtutes Auguſtiſſimæ & Sereniſſimæ Suecorum Reginæ*, *ULRICÆ ELEONORÆ*,

Prin-

Principis Hæreditariæ Daniæ & Norvegiæ &c. præſente Auguſtiſſimo & Potentiſſimo Danorum Monarcha, CHRISTIANO QUINTO, *in Regia Univerſitate Hafnienſi anno* 1693. *d.* 28. *Nov.* ſubmiſſe expoſuit, quæ prodiit Haſn. 1693. in Folio, ut taceam Carmina Danica, Suecica, Germanica, Latina &c. numero fere innumero impreſſa, quibus lugubre officium auguſtiſſimo Funeri perſolverunt, nomine utriusque Regni Dano-Suecici, quam plurimi. Addo tamen ſequens, quod dictæ *Pauli Vindingii* Orationi Parentali annectitur,

MONUMENTUM ARCHEDICES, QUOD OLIM LAMPSACI EXTITIT,

Ex Thucyd. lib. VI. Hiſtor. p. 452.

ΑΝΔΡΟΣ ΑΡΙΣΤΕΥΣΑΝΤΟΣ ΕΝ ΕΛΛΑ-
ΔΙ ΤΩΝ ΕΦ' ΕΑΥΤΟΥ
ΙΠΠΙΟΥ ΑΡΧΕΔΙΚΗΝ ΗΔΕ ΚΕΚΕΥ-
ΘΕ ΚΟΝΙΣ.
ΗΠΑΤΡΟΣ ΤΕ ΚΑΙ ΑΝΔΡΟΣ ΑΔΕΛΦΩΝ
Τ' ΟΥΣΑ ΤΥΡΑΝΝΩΝ
ΠΑΙΔΩΝ Τ' ΟΥΚ ΗΡΘΗ ΝΟΥΝ ΕΣ
ΑΤΑΣΘΑΛΙΗΝ.

Verſ. vulg.

Hippiæ apud Græcos laudem virtutis adepti
Hic pulvis prolem contegit Archedicem.

Quæ

Quæ Reges habuit Patrem, Fratresque, Virumque,
Et Natos, haudque eſt facta ſuperba tamen.

Tumulo
Auguſtiſſimæ Svecorum Reginæ,
ULRICÆ ELEONORÆ
ita applicatum.

Principis Arctoi, quo non Auguſtior alter,
Nata ſub his ſaxis ELEONORA jacet.
Filia quæ Regis, Conjux, Soror, atque Futuri
Mater, non titulos ambitioſa tulit.

His denique ſubricere admodum volupe eſt Epigramma longe pulcherrimum omnibusque numeris abſolutum, quod (non adſcripto magni Poëtæ nomine.) legitur ſub incomparabilis Reginæ icone, Celeberrimorum artificum *Edelinckii* & *Ehrenſtrahlii* opera, æri inciſa:

Cerne Tuæ ſacros Auguſtæ, Suecia, vultus,
Hac fronte, hoc genio ſuſpicienda fuit.
Regis nata, Soror Regis, Regisque Marita,
Et Regis Genetrix & Domina ipſa Sui.
Sueccorum decus & Danorum gloria, genti
Pignus amicitiæ ſemper utrique ſacrum.
Huic Deus & Conjux, Soboles, Jus, Pauper & Aeger,
Virtus, Fama, Fides, cura perennis erat.
Obſtupuit Numen Natura in Principe: quamque
Non putat eſſe ſuam, cenſuit eſſe Dei.

§. C.

- - - *Winſtrupia*, elegantiorum litterarum cultrix feliciſſima, quantam ſibi Linguæ Romanæ acquiſiverit cognitionem, & in Latino Carmine condendo facilitatem, ſatis, opinor, teſtatur Metrica Ejus Epiſtola, ad Fratrem ſcripta, licet unico ſaltem hoc hexametro verſu conſtans, qua Ipſum ad Nuptias ſuas amice invitavit:

Winſtrupi Frater; Sum Sponſa: Venito. Valeto.

APPENDIX AD GYNÆCEUM DANIÆ LITTERATUM.

Lectori Candido Salutem!

CUm in eo eſſem, ut GYNÆCEUM hoc in honorem Centum noſtratium Feminarum, eruditione vel ſcriptis illuſtrium, erigerem, quod Opuſculum, honori patriæ meæ diligentiſſime velificaturus, cupide ac perlibenter confeci; plures Danorum Feminas ob litterarum cultum in laude quoque aliqua poſitas, obſervavi. Ne igitur harum laudes mea culpa obſoleſcerent, conſultum duxi, quas ſupra numerum centenarium collegeram, quia ad hoc ſcriptionis genus jure ſuo pertinent, in ſequenti Appendice paucis attingere, ſimulque, quid in litteris ſingulæ præſtiterint, monere, ne temere eas omiſiſſe videar.

§. I.

Primo loco ſe nobis ſiſtit *Anna* quædam, Mulier Coagienſis in Sædlandia, Uxor *Hans Badſkiærs*, ſive *Hans Krammers*, qui Coagii olim habitavit. Illa conſcripſiſſe fertur idiomate vernaculo Hiſtoriam de rebus in ſua domo & familia per Satanam

tanam & veneficas geſtis, variaque, quæ ab anno 1608. ad 1625. acciderunt. Quæ Hiſtoria poſtea evulgata eſt ſub titulo: *Kiöge-Huus-Kaars*, *Crucis Domeſticæ Coagienſis*, & primum prelo commiſſa eſt a *M. Joh. Brunsmanno*, (Scholæ Herlovianæ initio Rectore, poſtea Eccleſiaſte Hafnienſi) Hafn. 1674. deinde 1684. & rurſus 1691. in 8.

§. II.

Eliſabetham Crucigeram inter Poëtrias Danorum Sacras pridem laudavi in *Idea Hiſtor. Litter. Danorum* Part. II. Cap. VII. *de ſtudio Poëtico Danor.* pag. 349. Poſtea vero ab illuſtriſſimo *Friderico Roſtgardo* per litteras d. 4. Dec. 1728. edoctus, hanc *Eliſabetham* uxorem haud dubie fuiſſe Viri excellentiſſ. D. *Caſpari Creutziger*, nec ad Danorum Gynæceum pertinere, deprehendi. Illa autem ſtudium Poëſeos ſacræ feliciter coluit, Hymnumque Germanorum HErr Chriſt der einig GOttes Sohn pie & nervoſe compoſuit, Danice poſtea redditum, & in Eccleſiis noſtris Dominica I. Adventus decantari ſolitum, qui ita incipit: *Herre Chriſt*, *Gud Faders eenbaarne Sön.* Hæc addere volui, ne laudem, quam promeruit, ipſi licet extraneæ detraherem. Plura mihi non innoteſcunt ſpecimina ab hujus *Crucigeræ* docto calamo profecta; nullus vero dubito, quin in Eruditorum Bibliothecis plura ejus Opera Poëtica hinc inde deliteſcant.

§. III.

In Bibliotheculam meam nuperrime tranſierunt

runt Carmina quædam vernacula, Hafn. 1688. e Typographeo *Conradi Hardovici Neuhoff* una plag. in Fol. edita, a quinque Sororibus, *Barbara*, *Anna*, *Helena Margareta*, *Birgitta* & *Kirſtina Evendorphiis*, *Henrici filiabus*, compoſita, & Nuptiis Fratris, *Martini Henrici Evendorphii*, Ptochotrophii Ripenſis Inſpectoris & Oeconomi, ac *Elinæ Martini Bremſiæ* Ripis d. 4. Apr. 1688. celebratis dicata. De harum Feminarum eruditione alias nihil fando inaudivi.

§. IV.

Fionenſis Puella quædam laudatur *M. Andreæ Bordingio* in ſcripto ſuo *de Feminis doctis* Danico *Margaretæ Juel*, *Jani*, Pro Regis Norvegiæ, Filiæ dicato, juxta *Sperlingium* in ſuo MSto p. 320. Eam ſibi in Latinis & Græcis litteris acquiſiverat eruditionem, ut anno ætatis decimo quinto, *Novum Teſtamentum Græcum*, quacunque parte quis vellet, Sermone Latino confeſtim & egregæ exponeret. Quæ autem, & cujus Filia fuerit, nondum mihi ab Amicis meis Fionenſibus, licet per litteris id oratis, expiſcari licuit.

§. V.

Fionenſes aliæ, Sacerdotis cujusdam filiæ, teſte eodem *Sperlingio* l. c. p. 320. in Ebræis ita fuerunt verſatæ, ut, quicunque Sacri Codicis locus evolveretur ac traderetur, eum ſine mora Danico idiomate donare poſſent ac efferre. Neque de

his puellis ampliorem notitiam hactenus exquirere valui.

§. VI.

Anna Nicolai Heebo, poſtea Conjux plur. Rever. *Dni Johannis Nicolai Paludani*, olim Eccleſiæ Aal in Diœceſi Ripenſi Paſtoris & Nomarchiæ Occidentalis Præpoſiti; & *Maria Nicolai Heebo*, inde Marita admodum rever. *Dni Johannis Sev. Winther*, Eccleſiarum Jandrup & Billum in Diœceſi Rip. Paſtoris, adhuc puellæ, in honorem Matris, *Eliſabethæ Petrææ*, haud incelebris Cimbrorum Poëtriæ, ſupra §. LXV. memoratæ, *Viduæ Suſpirio & Thuribulo* Hafn. 1687. in 8. ab Ipſa edito, Carmina ſua Danica gratulatoria adjunxerunt.

§. VII.

De Nobili Danorum Virgine, *Medea Giöe* ſupra mentionem injeci in ipſo *Gynæceo* §. XXX. At *Eleonora Chriſtina Ulfeld*, in litteris an. 1679. d. 27. Maj. ad *Sperlingium* datis, duas exiſtimat fuiſſe *Medeas*, ex familia *Giöana* prognatas, eodem tempore ſuperſtites, doctas & eruditas ambas, alteram *Falconis* Sororem, alteram vero (niſi quid fallit) *Falconis* Filiam. Hanc obſervationem MS. *Sperlingiano* ſæpius citato debeo, quantum vero ad veritatem accedat, aliorum judicio relinquo.

§. VIII.

Lieuwam, Mulierem quandam Danam, jam pridem

pridem in Præfatione *Ideæ* meæ *Hiſtor. Litter. Danorum* p. 13. 14. laudavi. Huic ob ætatem extremam & ſcientiam haud vulgarem, tanquam parenti, venerationem præſtiterunt noſtrates. Fuit *Aſtrologiæ* judiciariæ dedita, Chirurgicis quoque ac Medicis Operationibus haud infeliciter tincta, atque ob ſuum *Emplaſtrum Miraculoſum* (Mirakel-Pflaſter) præcipue commendata. Anno demum ætatis ſuæ CXXIVto obiiſſe fertur. Nomen Ejus in Adverſariis meis Academicis reperi, ac eapropter locum ei in *Ideæ* Præfatione l. c. aſſignavi; in Adverſaria autem, quantum nunc quidem ſuggerit memoria, antea conjeceram ex *Valerio Maximo Danico* MSto incomparabilis noſtri *Otthonis Sperlingii*, Hafniæ mihi ante decennium in magnifica Nobiliſſ. *Chriſtiani Reitzeri* Bibliotheca viſo ac in Muſeum meum per aliquot dies delato. Tamen hoc pro certo affirmare non audeo, poſtquam eadem illa Adverſaria & pleraque mea MSSta una cum Bibliotheca cariſſima in triſti Leirskovienſi incendio ocijus perierunt. Id vero certiſſimum, & vixiſſe hanc Feminam, & a multis hodie viventibus fuiſſe cognitam. Ego autem penitiorem de Ejus nomine, ætate, familia & in litteris ſcientia notitiam hactenus exquirere non potui.

§. IX.

Anna *Rönnov*, Nobilis ac pia in Dania Matrona, a Viro Clar. *Matthia Henrici Schachtio*, Rectore Cartemundenſi, in Schediaſmate *de Eruditis Daniæ Mulieribus*, Nov. Litt. Mar. Balth. & Sept. 1700. p. 209. ſequ. inſerto, *litterarum ac litteratorum Fau-*

trix inſignis dicitur; nec dubium eſt, quin Matrona hæc illuſtris & pie erudita nonnulla ingenii ſui ſpecimina reliquerit. *Scriptum* vero *ſpirituale*, quod ipſi tribuit *Schachtius* l. c. nec non *Lindius* in Catalogo *Brahæano* p. 156. auctorem agnoſcit non *Annam Rönnov*, ſed *Annam Hardenbergiam*, de qua in Gynæceo meo §. XXXVIII. quod paullo abhinc didici ex erudito Virginis Nobiliſſimæ, *Catharinæ Brahe*, colloquio.

§. X.

Magdalena, Uxor quondam Viri celeberrimi, D. *Thomæ Zegeri*, in Acad. Hafnienſi Medic. Profeſſoris, anno 1544. defuncti, Coldingæ in Cimbria poſt fata Mariti vixit, litterarum, ut fertur, cultrix aſſidua. Aſtronomiæ peritiſſima Calendaria edidit & de rebus futuris præſagivit; unde in ſuſpicionem Civium incidit, quaſi de Deo minus recte ſentiret; cum novum hoc ipſis eſſet & inauditum, feminam ex ſiderum curſu & arte vaticinari poſſe, easque res, quæ ſupra nos, cognitas habere; prout de ea diſſerit *Sperlingius* in citato ſæpius MS. *de Doctis Feminis*. Hujus rei teſtimonium aliquod in Sacrario Templi Coldingenſis ſupereſt, ubi anno 1568. ætat. LXXVII. ſepulta eſt cum hoc Epitaphio, quod, prout legitur, ad verbum ita exſcripſi: Hie ligt begraben die Tugentſame Frau/ Magdalena, des Hochgelarten Medici, Seliger Thomæ Zegeri, nachgelaſſene Wittwe; hat ein Chriſtlich ehrlich leven gefürt / und im ſelben uf den 16. Jan. des 68. Jars/ Jres Alters aber M (forte im) LXXVII. Jar zu Coldingen mit vorhergehender Beſenis Jres Chriſt-

Chriſtlichen Glaubens / darin Sie gantz Wolgegründet geweſſen / GOtt Seliglich entſchlaffen. Sie war erfaren in der Aſtronomie; und weil Sie Almanach gemacht hat / iſt Sie von Irem Beicht-Vater gefragt / was Sie davon hielte / iſt befunden / das Sie Irem Chriſtlichen Glauben zu wider nichts davon gehalten hat.

§. XI.

Magdalena *Rantzow* & Hedevigis *Rantzow*, Dominæ de Smool in Holſatia, Patrem habuerunt *Henricum Rantzowium*, illuſtriſſimum Holſatiæ Pro-Ducem, Conſiliarium & Præfectum Rensburgenſem; Omnigenæ eruditionis tam Græcæ & Latinæ, quam Gallicæ fuerunt callentiſſimæ. Et prout omnia fere habuerunt æqualia, ita quoque prima ſtatim juventa paria expertæ ſunt fata. Etenim *Magdalena* Nata fuit 1624. die 10. Sept. & *Henrico Rantzowio* deſponſata obiit 1639. d. 15. Oct. in prædio Wandsbeckiano ætat. XV. *Hedevigis* nata 1627. d. 27. Aug. & deſponſata *Georgio Seeſted*, in ipſo quoque ætatis flore exſtincta eſt d. 30. Octobr. 1640. ætat. XIII. juxta *Sperlingium* in ſuo MSto pag. 318. Ceterum de earum eruditione Conciones funebres, memoriæ illarum dicatæ prolixius memorant.

§. XII.

Si vero memorandæ eſſent omnes priorum ſeculorum Feminæ, eruditionis laude in Dania conſpicuæ, quæ Poëſin, Medicinam & Philoſophiam in honore ac pretio habuerunt & feliciſſime colue-

[c]luerunt, infiniti ſane laboris eſſet, nec intra *Gy-næcei* hujus Cancellos facile abſolvendi. Paucas tamen in hac ſectione attingam, quæ mihi aliud agenti ſe obtulerunt.

Aslauga, circa an. 790. initio in Norvegia cuſtos ovium facta, ibique *Kraka* nominata, pluri-mis artibus, in primis Poëſi clara fuit; ob ſpecio-ſam formam tandem REGNERO LODBROG, po-tentiſſimo Daniæ Regi, matrimonio juncta. Hujus meminit *Sperlingius* in ſuo MSto Conf. celeberrimi *Nic. Petri Sibbern* Bibliotheca Hiſtor. Dan. Norveg. p. 4. ubi hoc de *Aslauga* habetur elogium: *Ragne-rus Lodbrog Scaldar erat, ut Uxor ejus Aslaug, omnes-que ejus filii.*

Thurida Snorronis, Islanda, circa an. Chriſti 1100. ſuperſtes, inter doctas Septemtrionales me-rito refertur, licet nihil ſcriptis mandarit, ſed quia *Aras*, Sacerdos ſui temporis doctiſſimus & ſapientiſ-ſimus in Islandia, profeſſus eſt, ſe multa eorum, quæ ſcripſerat & litteris tradiderat, ab hac *Thurida* didiciſſe, eique ſummam ingenii & prudentiæ lau-dem tribuit. Conf. *Sperlingium* p. 636.

Anonyma quædam in vita *Olai Magni* produ-citur, quæ vulnera ex prælio redeuntium dextre curavit. Conf. *Idea* mea *Hiſt. Litter. Danor.* p. 291. ex *Chron. Norv. MS.* p. 311.

Ranghvida, Filia *Haquini*, Regis in Norve-gia *Nitherorum* (ſeu *Nidroſienſium* ex ſententia *Sper-lingii*) Regi Daniæ *Hadingo*, a gigante quodam vul-nerato, Medicinam & χειρεργίαν fecit, prout te-ſtatur *Saxo* lib. I. p. 16.

Groa Volva, Uxor *Orvandilli*, *Thoro* Aſarum

Medi-

Medicinam adhibuit, quod conſtat ex Fab. LV. *Eddæ.*

Eyra, una ex Aſis hoc ornatur encomio: *Hon er Lækner beſtr*, *illa eſt medicinæ peritiſſima.* vid. ibm. Fab. LVI. Conf. *Idea* mea *Hiſt. L. D.* p. 291.

Johanna Sape, ex Danica proſapia Nobiliſſima oriunda, Patrem habuit *Andream Sape*, circa an. 1439. Regni Senatorem, Matrem vero *Idam Serlin.* Uxor facta eſt primum *Bondonis Due*, deinde *Nicolai Erici Banner*, ex utroque Matrimonio XVI. Liberorum Mater. Prudentia inſigni usque ad miraculum polluit, inque Senatum Regni Danici, tanquam membrum, ob eruditionem ſuam & ſapientiam adſcita fuiſſe legitur. In Monaſterio Dueholmenſi Cimbriæ locum ſepulturæ adepta eſt, ſepulta in Sacello auſtrali Eccleſiæ Dueholmenſis, quod nunc deſtructum viſitur, juxta celeb. *Otthonem Sperlingium* in ſuo MS. p. 938, 939.

FLOREANT PERPETUO
APUD DANOS BONÆ LITTERÆ
EARUMQUE CULTORES,
IN DEI GLORIAM,
PATRIÆQUE DECUS ET EMOLUMENTUM!

(o)

INDEX I. Feminarum,

de quarum eruditione vel ſcriptis in hoc Opuſculo mentio injicitur.

NB. Litteræ G. & A. nominibus appoſitæ, notant Gynæceum & Appendicem, ubi quævis Femina in hoc Scripto memoratur.

Ingera *Andreæ fil.* G. - - p. 19
Anonyma. A. - - 134
Aslauga. A. - - - 134
Anna Hans *Badſkiærs.* A. - 127
Margareta *Bartholina.* G. - 19
Maria *Belov.* G. - - 21
Sophia *Belov.* G. - - 24
Birgitta *Bilde.* G. - - 25
Catharina *Bilde.* G. - - 25
Sophia *Bilde.* G. - - 26
Hedeviga Margareta *Bornemann.* G. - 27
Catharina *Brahe.* G. - - 30
Sophia *Brahe.* G. - - 31
Sophia *Brahe*, alia. G. - - 35
Anna Margareta *Bredalina.* G. - 36
Agatha *Brokkenhuus.* G. - - 41
Birgitta *Brokkenhuus.* G. - 41
Catharina *Brokkenhuus.* G. - 41
Eliſabetha *Brokkenhuus.* G. - 41
Geſa *Brokkenhuus.* G. - - 43
Eliſabetha *Bryſche.* G. - - 43

Elenora

Eleonora *Chriſtina*. G. p. 43
Eliſabetha *Crucigera*. A. 128
Dorothea *Engelbrechtia*. G. 47
Anna Henrici *Evendorph*. A. 129
Barbara Henr. *Evendorph*. A. 129
Birgitta Henr. *Evendorph*. A. 129
Helena Marg. Henr. *Evendorph*. A. 129
Kirſtina Henr. *Evendorph*. A. 129
Eyra. A. 135
Maria *Fabricia*. G. 54
Eliſabetha *Falſen*. G. 54
Fionenſes puellæ A. 129
Fionenſis puella. A. 129
Berta *Friis*. G. 56
Chriſtenſa *Friis*. G. 57
Helena Marg. *Friis*. G. 58
Lyche Sophia *Friis*. G. 59
Chriſtina *Fuiren*. G. 62
Cilla *Gad*. G. 63
Anna *Giöe*. G. 64
Medea *Giöe*. G. 65
Medea *Giöe*, alia A. 130
Suſanna *Giöe*. G. 68
Eliſabetha *Glodſtrup*. G. 69
Anna *Grubbe*. G. 69
Sophia *Grubbe*. G. 69
Ingeburga *Gruthen* ſive *Grytten*. G. 69
Anna *Gyldenſtierne*. G. 71
Sibylla *Gyldenſtierne*. G. 71

Ranguida *Hacquini*. A. - - p. 134
Anna *Hardenberg*. G. - - 71
Mechtildis *Hardenberg*. G. - - 72
Anna Nicolai *Heebo*. A. - - 130
Maria Nic. *Heebo*. A. - - 130
Cœcilia *Höeg*. G. - - 72
Eliſabetha Sophia von *Holſtein*. G. - 72
Chriſtina *How*. G. - - 73
Chriſtina *Jani fil*. G. - - 73
Maria Jani *Jerſina* G. - - 75
Chriſtentia *Juul* G. - - 76
Suſanna *Juul*. G. - - 76
Anna *Krabbe*. G. - - 77
Anna *Krabbe*, alia, G. - - 78
Anna *Krabbe*, itidem alia, G. - 78
Eliſabetha *Krabbe*. G. - - 79
Anna Hans *Kremmers*. vid. Hans *Badſkiers*.
Anna Catharina *Krag*. G. - - 81
Anna *Kruſe*. G. - - 82
Anna Marg. *Lange*, G. - - 82
Eliſabetha *Lange*. - - 82
Margareta *Lange*. G. - - 83
Anna Marg. *Laſſon*. G. - - 83
Margareta *Laſſon*. G. - - 84
- - - - *Lieuwa*. A. - - 130
Anna *Lycke*. G. - - 86
Auguſta Marg. *Marſchalck*. G. - 86
Elina *Marſvin*. G. - - 86
Johanna *Martini fil*. G. - - 87
Chri-

Chriſtina *Munch*. G. - - p. 87
Dorothea *Nicolai*, G. - - 88
Helena *Opdall*. G. - - 88
Eliſabetha *Petræa*. G. - - 89
Gertrudis *Petræa*. G. - - 94
- - - *Podevels*. G. - - 95
Anna Margareta *Quitzov*. G. - 95
Chriſtiana Barbara *Rantzov*. G. - 105
Hedeviga *Rantzov*. A. - - 133
Magdalena *Rantzov*. A. - - 133
Birgitta *Reeds*. G. - - 106
Anna *Reimer*. G. - - 107
Eliſabetha *Rhumanna*. G. - - 107
Anna *Rönnov*. A. - - 131
Catharina *Rönnov*. G. - - 108
Edela *Roſenkrantz*. G. - - 108
Ida Marg. *Roſenkrantz*. G. - - 108
Petronella *Roſenkrantz*. G. - 109
Sophia *Roſenkrantz*. G. - - 109
Johanna *Sape*. A. - - 135
Sophia Amalia *Schade*. G. - 110
Anna *Schram*. G. - - 110
Eliſabetha *Schram*. G. - - 110
Mechtilda Dorothea *Sekman*. G. - 111
Thurida *Snorronis*. A. - - 134
Ingera Jani *Sönberg*. G. - 112
SOPHIA Regina G. - - 114
Anna *Sparre*. G. - - 114
Anna *Tot*. G. - - - 115

Anna

Anna-Hedevigis *Tot*. G. . p. 115
Beata *Tot*. *G*. - - - 116
Birgitta *Tot*. *G*. - - - 116
Eliſabetha *Tot*. *G*. - - 120
Sophia *Tot*. *G*. - - - 121
Anna *Trolle*. *G*. - - 121
Helena *Trolle*. G. - - 121
Medea *Trolle*. *G*. - - - 121
Anna Catharina *Ulfeld*. *G*. - 122
Eliſabetha *Ulfeld*. *G*. - - 122
Helena *Ulfeld*. G. - - 123
Helena Chriſtina *Ulfeld*. G. - 123
Thalia *Ulfſtand* G. - - 123
ULRICA-ELEONORA. G. - 124
Groa *Volva*. A. - - - 134
- - - - - *Winſtrupia* G. - - 126
Magdalena Th. *Zegeri*. A. - - 132

INDEX II.

INDEX II. Feminarum,

quarum in litteras & litteratos munificentia laudatur in Gynæcei hujus Atrio, ſeu Opuſculi Præfatione.

Anna, Joh. *Adkii.* - - p. 5
Silia Antonii *Balkenburgia.* - 5
Maria *Bangia.* - - 6
Chriſtina, Georgii *Benedicti.* - 6
Catharina *Brahe.* - - 6
Margareta *Brahe.* - - 6
Magdalena *Erici fil.* - - 7
Margareta *Erici fil.* - - 7
Anna *Finckia.* - - 7
Margareta *Finckia.* - - 7
Anna *Friis.* - - - 7
Eliſabetha *Friis.* - - 8
Chriſtina *Fuiren.* - - 8
Birgitta *Gibe.* - - 8
Rigitza *Grubbe.* - - 8
Maria Jani *Hunrum.* - - 9
Anna *Hardenberg.* - - 9
Margareta *Hiöeg.* - - 9
Dorothea *Johannis fil.* - - 9
Chriſtina *Juul.* - - - 9
Dorothea *Juul.* - - - 10
Eliſa *Juul.* - - - 10
Hedeviga *Kaas.* - - 10
Anna *Kruckov.* - - 10
Chriſtenſa *Kruckov.* - - 10

Bir-

Birgitta *Lindenov.* - - p. 10
Ingeburga *Loſs.* - - 10
Geſa *Lucæ fil.* - - 11
Catharina *Lunge.* - - 11
Gertrudis *Lycke.* - - 11
Anna Henrici *Lytke.* - - 11
Anna *Maltisdatia.* - - 11
Anna *Maneskiold.* - - 12
Elina ſeu Helena *Marsvin.* - 12
Christina *Munch.* - - 12
Dorothea, Esb. *Nicolai.* - 12
Maria *Nicolai fil.* - - 12
Ingerdis *Oxe.* - - 13
Eliſabetha *Petræa*, Flensburgenſis. - 13
Magdalena *Powiſch.* - - 13
Margareta *Rantzov.* - - 13
Anna *Rönnov.* - - 13
Medea *Rönnov.* - - 13
Anna *Roſenkrantz.* - - 14
Margareta *Roſenkrantz.* - - 14
Thala *Roſenkrantz.* - - 14
Margareta *Schouſgaard.* - - 14
Anna Margareta *Svaningia.* - 14
Margareta *Torchilli fil.* - - 14
Margareta, Joh. *Toſſingii.* - 14
Helle ſive Helena *Trolle.* - - 14
Anna Margareta *Wandalina.* - 15
Medea *Winſtrupia.* - - 15

(o)